





CHRISTIANI GOTTHELF HAVCKII

A. M. PASTORIS ET INSPECTORIS PORTENSIS

LIBELLVS

DE

PROFECTIONIBVS ABRAAMI E CHARRIS IN CHANANAEAM

AD VINDICANDAM

AB OBTRECTATORIBVS

SCRIPTVRAE SACRAE

DIVINAM AVCTORITATEM.



LIPSIAE,

IMPENSIS HERMANNI HENRICI HOLLII,

MDCCLXXVI.

CHRISTIANI GOTTHELF HAVCKII

A. M. PASTORIS ET INSPECTORIS PORTENSIS

LIBELLVS

DE

PROFECTIONIBVS ABRAAMI E CHARRIS IN CHANANAEAM

AD VINDICANDAM

AB OBTRECTATORIBVS

SCRIPTVRAE SACRAE

DIVINAM AVCTORITATEM.



LIPSIAE,

IMPENSIS HERMANNI HENRICI HOLLII,

MDCCLXXVI.

VIRIS

MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS

SVMME REVERENDIS

S. S. THEOLOGIAE

DOCTORIBVS

CELEBERRIMIS

IOANNI GODOFREDO
HERMANNO

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE CAET. IN SENATV ECCLESIASTICO ET CONSISTORIO SVPREMO ASSESSORI ET ORATORI SACRO AVLICO PRINCIPI

IOANNI IOACHIMO GOTTLOB
AM ENDE

PASTORI PRIMARIO, DRESDENSIS DIOECESEOS SVPERINTENDENTI, SCHOLARVM INSCPECTORI, ET IN CONSISTORIO SVPREMO ASSESSORI

PATRONIS

OPTIMIS MAXIMIS

D. D. D.

VIRI
MAGNIFICI EXCELLENTISSIMI
SVMME REVERENDI

VESTRA humanitas et insignis erga me beneuolentia eo me perduxit, vt VOBIS hunc meum libellum inscribere quasique consecrare auderem: tum, vt extaret monimentum aliquod obseruantiae pietatisque erga VOS meae, tum vt liber ipse his Nominibus lecturis omnibus gratior ac commendatior foret. Et sane siue deligendi erant iudices, qui de meo labore existimare omnium optime possent, nullos reperire poteram, quibus iustius is deferretur, quam VOBIS: siue quaerendi erant Patroni, qui clementer in diiudicando hoc libello mecum agerent, nullos videbam, a quibus id certius expectari posset, quam VOS. In magna felicitatis meae parte ponam, si studium

dium meum, in libello hoc conficiendo collocatum, non displicuisse iudicio VESTRO intellexero: magis autem de felicitate mea mihi ipse gratulabor, si VOBIS pietatem erga VOS meam probauero, cuius colendae omni tempore studiosum futurum me esse sancte polliceor. Opto, vt quo longius aetate progressi fueritis, eo laetius in pristino animi corporisque vigore ad agendum quasi vernes, efflorescatis, ac crescentes in dies mentis viriditate, vitam VESTRAM ab imbecillitate virium et annorum ingravescentium iniuria conseruetis semper integram, illibatam, vegetam et florentem. Caeterum, animi mei pietatem tam vehementer in me esse confirmatam, VOBIS persuadeatis rogo, vt eam non nisi cum vita sim depositurus

VIRI MAGNIFICI

SVMME REVERENDIS NOMINIBVS VESTRIS

ADDICTVS DEDITVSQVE

CHRISTIANVS GOTTHELF HAVCKIVS.



PRAEFATIO.

Fuiſſe quosdam inter primae eccleſiae eruditos, invenio, qui, cum peſſime quaedam ſcripturae ſacrae loca interpretando, tum infelici opera ἐναντιοφαινόμενα colligendo, ſanctioribus literis nihil diuini ineſſe, putarent, imo inutiles iſtas et impias pronunciarent, et homines ab earum lectione retinendos iudicarent. Qua opinione, tanquam contagione aliqua, multorum animi infecti, tantum literarum ſacrarum odium conceperunt, vt, quod iis impenderetur ſtudium, id omne non ſolum inutile, ſed periculoſum etiam et animis hominum pernicioſum, condemnandum arbitrarentur. Nemo huius rei ignarus eſt ita, vt neſciat, Manichaeos, vetus omne Teſtamentum a malo Hebraeorum deo profectum, et, vt ad fidei confirmationem ineptum, ita bonis moribus plane aduerſum, blasphematos eſſe, et illos libros diuinos eſſe, pernegaſſe, qui Patriarchas et Prophetas, quos atrociſſimorum criminum ipſi reos agant,

laudibus commendent. Quorſum, paulo aliam viam ingreſſi, et iſti tendebant, qui ἐναντιοφαινόμενα, quibus Nouo Teſtamento contrauenire Vetus apparet, ſtudioſe colligentes et inuicem committentes, aeque, diuinos eſſe libros, negabant, qui euangelicis et apoſtolicis ſcriptis aduerſentur. Tum temporis neceſſe ſane erat, vt viri docti et pii rem diuinam accuratiori ſtudio defenderent, non vt diuinam acquirerent libris ſacris auctoritatem, quam a Deo habent, aeternumque habebunt, ſed vt argumenta, quaecunque iſta ſint, diuina et humana, externa et interna, pro ſcripturae ſacrae diuinitate, ante oculos hominibus ponerent. Quod Auguſtinus, pro ea, qua valuit, doctrina, multis libris ſtrenue rem chriſtianam defendendo, effecit: et, cum, Adimanti, itidem Manichaei, ex dictis ſacrae ſcripturae *inter ſe pugnantibus* diuinitatem pernegantis, furores ita comparatos eſſe, videret, vt infirmi fide facile deciperentur, etiam hos retudit peculiari libro, ſententias amice componens, quae intricati ponderis aliquid habere viderentur. Ex quo intelligitur, impugnantium diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem morem omni fuiſſe aeuo, vt ἐναντιοφαινόμενα praeſidiorum inſtar, malae ſuae rei adhiberent: vnde venit, vt eodem, quo neceſſe fuit tempore, vt argumenta pro ſacrae ſcripturae diuinitate denuo proponerentur, etiam loca ἐναντιοφανῆ conciliarentur, iſtorumque amica conſpiratio oſtenderetur. Poſt Auguſtini tempora plerisque ita diuina librorum ſacrorum auctoritas viſa fuit demonſtrata, vt nemo facile Chriſtianorum de ea dubitaret, nec in argumentis, quibus niteretur, praecipuam poneret curam, ſed certiſſime quisque perſuaſus eſſet, libros canonicos diuina gaudere auctoritate, quae pugnare in illis viderentur, eſſe rite concilianda, et nequaquam, ad eiiciendos e ſcriptura libros ſacros, adhibenda. B. Gerhardus

in

in locis theol. loc. I. §. 20. dicit, homines, qui intra ecclesiae pomoeria viuunt, de scripturae auctoritate non quaerunt, est enim principium. Quomodo possent esse vere discipuli Christi, si doctrinam Christi velint in dubium revocare? quomodo vera Ecclesiae membra, si de fundamento Ecclesiae dubitare velint? quomodo id sibi probari petent, quod ad probanda alia semper assumunt? quomodo de eo dubitarent, cuius efficaciam in cordibus persentiscunt? Spiritus sanctus in ipsorum cordibus testatur, quod Spiritus sit veritas, i. e. quod doctrina a Spiritu sancto profecta sit immota veritas.

At nos in ea incidimus tempora, quibus sacrarum literarum auctoritas denuo impugnatur, pristinae obiectiones renouantur, nouae dubitationes adiiciuntur, alia, quae ad rem ipsam parum faciunt, immiscentur, et tam atrox inter ipsos diuinae doctrinae confessores vtrinque summo studio et alacritate geritur bellum, vt quotidie noua arma, et ad oppugnandam coelestem doctrinam, et ad defendendam eandem proferre videas, et finem belli longe remotum timeas. Longe absit a me, vt putem, viros doctissimos, qui nouis nuper obiectionibus solicitarunt diuinitatem sacrae scripturae, esse impietatis insimulandos crimine, aut blasphemiae arguendos, aut, quas calumnias prorsus a Christianorum disputationibus remotas cuperem, Manichaeis aequiparandos, vt multo magis putem, eorum praecipue consilium fuisse hoc, vt antecaptas in rebus theologicis opiniones magis magisque de loco suo deiicerent, et studium diligentius de rerum sacrarum fontibus cogitandi excitarent. Facile est videre, quicquid in hac re effecerint. Constat enim, multos fidei confessores ex languore et sopore excitatos esse ita, vt alii, quantopere se hactenus ipsi

deceperint, ſentirent, putantes ſe de diuinitate ſacrorum librorum certiſſimis firmiſſimisque argumentis perſuaſos fuiſſe, quod tamen aliter fuit; alii autem ad diligentiorem ſcripturae ſacrae lectionem excitarentur, vt nunc, de quo nunquam cogitarunt, de argumentis diuinitatem librorum ſacrorum comprobantibus, maiori cura circumſpicerent, ſuaeque fidei noua quaſi fulcra quaererent. Quis auderet Theologos, qui ſacras venerantur literas, obſeruationibus ſacris et pluribus verbis explicant et ornant, conferre cum contemtoribus omnium ſacrorum librorum, qui hoſtili eructarunt animo, quicquid contra dogmata ſacra blasphemati ſunt, quod de iſtis ne ſuſpicari quidem licet.

Noui tamen impetus in ſacras literas et hoc effecerunt, vt pii *Theologi* et docti denuo, partim omni cura et ſtudio eos retunderent, partim ſtudioſiſſime in argumenta, pro diuina auctoritate hactenus vſurpata inquirerent, leuia et ſine accuratiori examine adhibita reiicerent, firmiora maiori cura ſtabilirent, iniuſte impugnata defenderent, nouoque robore fulcirent, internum ſacrae ſcripturae teſtimonium curatius obſeruarent, et externa ſolicitius examinarent, inſpirationem diuinam diligentius determinarent, et Dei recte colendi rationem ſtudioſiſſime vbique manifeſtarent. Numquid vtilius laudabiliusque tibi videtur hoc ſtudio? numquid autem poſtulari poteſt aequius hoc? ne quis in hoc demonſtrandi genere argumenta mathematica methodo depromta deſideret, quae in tali re nec produci poſſunt, nec debent, ſufficit probabilis demonſtrandi ratio. Quod eo monendum cenſui conſilio, ne quis putet, tam diu de auctoritate ſcripturae ſacrae diuina dubitari poſſe, quam diu non omnis dubitandi locus interclusus ſit.

Cum

Cum autem ἐναντιοφανῆ, quae in Bibliis sacris hinc inde occurrunt, non parum diuinae contrariari videntur auctoritati, et hostili eandem impugnantibus animo, ansam praebere solent, eo acriori insurgendi aduersus eandem vi et ardore; isti non mediocrem mihi visi sunt sacrae scripturae operam praebuisse, qui, vel ex instituto, vt e Iudaeis R. Manasses ben Israel in Conciliatore, ex aliis Fridericus Spanhemius in dubiis euangelicis, Augustus Pfeiferus in dubiis vexatis, alii, de hac re disputarunt, vel in vnius alteriusue loci dubiis scripturae soluendis operam suam collocarunt. In simili causa elaboranda ipse olim periculum feci, et paginas quasdam in publicum emisi, quibus diuinitati sacrae scripturae consulere et pugnantia inter se conciliare studui; sed initium modo rei factum est, imo nec ipsius rei, sed refutationis cuiusdam sententiae, nec reliqui quid additum, quia videbatur tum temporis eiusmodi disputatio fere superflua, neminem cum de auctoritate sacrarum literarum diuina dubitantem audiebas, nec inter christianos homines, qui eliminandos hos vel illos libros e sacro codice, censerent, quenquam videbas. Acriter autem cum pugnari ante paucos annos coeptum est inter doctissimos viros de eo, an omnes libri, quos codex sacer continet, sint diuinae originis, et multae allegatae sunt rationes, quae ex quorundam mente impediant, quo minus eadem omnibus tribui possit auctoritas: inter easdem vero rationes quaedam inde desumtae sunt, quod in multis locis parum sibi constent scriptores sacri, denuo cogitare coepi de meo quondam suscepto labore, conciliandi ea, quibus Moses et Stephanus in describendis Abraami e Charris profectionibus in Chananaeam pugnare videntur, ea, quae tum inacta manserunt, prosequendi, et repetendi ea, quae olim hac de re in lucem emissa sunt, spe fretus, quos-

 dam

dam futuros esse, qui conatus nostros non omnino contemnant.

Cum quis autem nostrum male interpretari consilium, aut in suspicionem nos, quasi his verbis scriptiunculae nostrae quaereremus simulationem, adducere posset, non operam nos arbitramur, tempusque consumturos, si exempla quaedam, ex scriptis Theologorum doctissimorum nouissimis, assertioni nostrae confirmandae adduceremus, quae sunt a quibusdam eum in finem allegata, vt, quam multa leuia et inter se pugnantia in sacris Bibliis occurrant, probarent. Leuiter tantum attingemus quaedam, nostrumque qualecunque iudicium adiiciemus. In verbis Io. V, 39. *ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν, αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ*, remittit Servator O. M. non suos modo, sed et omnium temporum auditores ad scripturam sacram legendam, scrutandam et inuestigandam, tanquam ad fidei principium, et credendorum faciendorumque normam, imo tanquam ad medium salutis aeternae consequendae. Auditores Seruatoris quidnam videntur tibi tum intellexisse per *τὰς γραφὰς*; certe non alios libros, quam quos Christiani a Iudaeis, in catalogo diuinorum librorum, acceperant, תורה, נביאים, הכתובים, et quos sua auctoritate Seruator confirmauerat. At hodie doctissimi quidam Theologorum Seruatoris sententiam argumentis refellere sibi sumunt aientes, scripturam V. T. parum continere lectu digni, ad promouendam hominum felicitatem aeternam, imo quosdam libros, praecipue historicos eliminandos esse, vt qui nihil omnino vtilitatis contineant. Quidnam aliud faciunt sermonibus his viri eruditi, quam vt contradictiones affingant scripturae sacrae, et eas literas sacras plerasque nullius esse momenti pronuncient,

cient, quas Chriſtus vtiliſſimas ad ſalutem et neceſſarias laudat. Mihi ita res ſe habere videtur. Seruator optimus candido commendauit ſuis auditoribus animo lectionem ſacrae V. T. ſcripturae, dicens, ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ἐκεῖναί εἰσιν, αἱ μαρτυρȣ̃σαι περὶ ἐμȣ̃. Nonne neceſſe erat, vt vel ipſi ſcirent, quosnam libros Seruator per τὰς γραφὰς intelligeret, vel ab ipſo numerus librorum certus deſignaretur, qui ſub voce γραφαὶ intelligeretur. At nihil explicandi gratia addidit, ex quo manifeſtum eſt, ipſius auditores eos per τὰς γραφὰς intellexiſſe libros, quos Iudaei in catalogo librorum diuinorum ſub nomine legis, Prophetarum et Hagiographorum complectebantur. Quod ſi verum eſt, iuſſit Chriſtus auditores ſuos, vt ex omnibus libris V. T. nullo excepto, haurirent, quae ad fidem in ſe, et per eam ad aeternam neceſſaria eſſent ſalutem. Ex quo patet, ad quem praecipue vſum lectio V. T. adhibenda ſit, non vt dogmata modo communia ad animi culturam inſervientia inde hauriant homines, ſed vt typos, vaticinia, genealogias legant, comparationem earum rerum cum Chriſti perſona, origine et officio inſtituant, verum Meſſiam inde cognoſcant, ſuam fidem ſtabiliant, et per hanc ad aeternam ſalutem adſpirent. Eadem cura, eodem ſtudio, quo quis inſtitui vult explorationem diuinae ſcripturae auctoritatis, eodem ſtudio comparatio omnium V. T. librorum inſtituenda eſt cum libris N. T. vt inde cognoscamus, quo nitatur fides noſtra, et an Ieſus Nazarenus verus ſit Meſſias. Quis negaret, continere libros V. T. multa ad populum iudaicum vnice ſpectantia, noſtram ſalutem non concernentia, et propter hoc leuia, cuius rei rationes ſumme Venerabilis Erneſti, Biblioth. Vol. II. p. 441. graues et firmiſſimas dedit, et rectiſſime monuit, libros vtriusque teſtamenti eſſe diuinos, et nullos propterea, quod in aliis vtiliora

liora

dam futuros eſſe, qui conatus noſtros non omnino contemnant.

Cum quis autem noſtrum male interpretari conſilium, aut in ſuspicionem nos, quaſi his verbis ſcriptiunculae noſtrae quaereremus ſimulationem, adducere poſſet, non operam nos arbitramur, tempusque conſumturos, ſi exempla quaedam, ex ſcriptis Theologorum doctiſſimorum nouiſſimis, aſſertioni noſtrae confirmandae adduceremus, quae ſunt a quibusdam eum in finem allegata, vt, quam multa leuia et inter ſe pugnantia in ſacris Bibliis occurrant, probarent. Leuiter tantum attingemus quaedam, noſtrumque qualecunque iudicium adiiciemus. In verbis Io. V, 39. ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν, αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ, remittit Seruator O. M. non ſuos modo, ſed et omnium temporum auditores ad ſcripturam ſacram legendam, ſcrutandam et inueſtigandam, tanquam ad fidei principium, et credendorum faciendorumque normam, imo tanquam ad medium ſalutis aeternae conſequendae. Auditores Seruatoris quidnam videntur tibi tum intellexiſſe per τὰς γραφὰς; certe non alios libros, quam quos Chriſtiani a Iudaeis, in catalogo diuinorum librorum, acceperant, תורה, נביאים, הכתובים, et quos ſua auctoritate Seruator confirmauerat. At hodie doctiſſimi quidam Theologorum Seruatoris ſententiam argumentis refellere ſibi ſumunt aientes, ſcripturam V. T. parum continere lectu digni, ad promouendam hominum felicitatem aeternam, imo quosdam libros, praecipue hiſtoricos eliminandos eſſe, vt qui nihil omnino vtilitatis contineant. Quidnam aliud faciunt ſermonibus his viri eruditi, quam vt contradictiones affingant ſcripturae ſacrae, et eas literas ſacras plerasque nullius eſſe momenti pronuncient,

cient, quas Christus vtilissimas ad salutem et necessarias laudat. Mihi ita res se habere videtur. Seruator optimus candido commendauit suis auditoribus animo lectionem sacrae V. T. scripturae, dicens, ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ἐκεῖναί εἰσιν, αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Nonne necesse erat, vt vel ipsi scirent, quosnam libros Seruator per τὰς γραφὰς intelligeret, vel ab ipso numerus librorum certus designaretur, qui sub voce γραφαὶ intelligeretur. At nihil explicandi gratia addidit, ex quo manifestum est, ipsius auditores eos per τὰς γραφὰς intellexisse libros, quos Iudaei in catalogo librorum diuinorum sub nomine legis, Prophetarum et Hagiographorum complectebantur. Quod si verum est, iussit Christus auditores suos, vt ex omnibus libris V. T. nullo excepto, haurirent, quae ad fidem in se, et per eam ad aeternam necessaria essent salutem. Ex quo patet, ad quem praecipue vsum lectio V. T. adhibenda sit, non vt dogmata modo communia ad animi culturam inseruientia inde hauriant homines, sed vt typos, vaticinia, genealogias legant, comparationem earum rerum cum Christi persona, origine et *officio instituant*, verum Messiam inde cognoscant, suam fidem stabiliant, et per hanc ad aeternam salutem adspirent. Eadem cura, eodem studio, quo quis institui vult explorationem diuinae scripturae auctoritatis, eodem studio comparatio omnium V. T. librorum instituenda est cum libris N. T. vt inde cognoscamus, quo nitatur fides nostra, et an Iesus Nazarenus verus sit Messias. Quis negaret, continere libros V. T. multa ad populum iudaicum vnice spectantia, nostram salutem non concernentia, et propter hoc leuia, cuius rei rationes summe Venerabilis Ernesti, Biblioth. Vol. II. p. 441. graues et firmissimas dedit, et rectissime monuit, libros vtriusque testamenti esse diuinos, et nullos propterea, quod in aliis vtiliora

liora

liora doceantur reiiciendos, ſed pretium omnibus ſuum ſtatuendum, et vtrumque Teſtamentum eo, quo decet Chriſtianum, ſtudio legendum.

Accedo ad alium locum, quo Ioannes grauiſſime confirmat, omnia ab Euangeliſtis de Chriſto ſcripta, ἐςὶ γεγραμμένα, ὅτι ὁ Ἰησȣ̃ς ἐςιν ὁ Χριςὸς ὁ υἱὸς τȣ̃ Θεȣ̃, καὶ ἵνα πιςεύοντες ζωὴν ἔχωμεν ἐν τῷ ὀνόματι αὐτȣ̃. At minus recte, ex quorundam doctorum opinione locutus eſt Ioannes, ſiquidem ipſi obiiciunt, multa in Euangeliis ſanctis proponi, quae nullam prorſus ad hunc finem obtinendum vim habeant, nam in Matthaei Euangelica enarratione praeter concionem Chriſti in monte habitam pauca, imo nulla homini chriſtiano vtilia occurrere; narrationes enim de obſeſſis nullius eſſe pretii, et hiſtoriam de ſeptem diabolis, Mariam obſidentibus, ad loquendi formulas iudaicas eſſe referendam. Ex quibus patet, contrario niſu inſurgere viros doctos adverſus Ioannem, et res iſtas nullius pretii eſſe, affirmare, quas hic ad fidem in Chriſtum conſcriptas eſſe, grauiter pronunciat. Accuratius ſi perpendas Ioannis verba, ne minimum quidem obſcuritatis, vt haeſites, quomodo intelligi velit, deprehendes. Sed obiectiones virorum laudatorum ſi legas, vbique deſiderabis rationes, quibus ſuas opiniones, ad infirmanda et alio detorquenda oracula ſacra, ſtudio conquiſitas, leuiter tantum confirment; quo in ſuſpicionem veniunt, ſe non optima fide, quam de ſe ſaepiſſime praedicant, munus Interpretum ſacrorum egiſſe. Paulus, vt alio vtar exemplo, 2 Timoth. III, 16. πᾶσαν γραφὴν θεόπνευςον laudat, et ὠφέλιμον dicit πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Sed quidam noſtrorum Theologorum vere pugnantia affingunt Apoſtolo, dicentes, multa legi in ſcripturis leuia, contorta, inuti-

inutilia, et in vniuersum plurima longe esse remota ab ea auctoritate, vt possint ad γραφὴν θεόπνευστον referri. Ponamus, ait quidam vir doctissimus, inspirationem diuinam olim extendisse se ad verba etiam scriptoris sacri, tamen nunc euanuit ista, et neutiquam ad verba, quae hodie leguntur in Bibliis sacris, trahenda, propter apographorum permutationes, quae facerent, vt, propter varietatem lectionum in multis locis, qui numerus et ordo verborum proprius fuerit, ignoraretur, nec, an pauciora vel plura, in hoc vel isto loco, olim fuerint verba, neutiquam certe dici posset. Quamuis sacri codicis integritas, exclusa vniversali omnium codicum corruptione, merito adstruenda, minime tamen negamus, librariorum ac typothetarum incuria, in multis codicibus manuscriptis pariter ac impressis aliquam hinc inde discrepantiam in certarum vocum scriptione inueniri, cuius fontes et occasiones ostendit summe Ven. Io. Henr. Michaelis in praef. bibl. ebr. cap. III. §. 5. p. 17. Sed quid inde? num igitur verbi diuini voces perierunt? nonne diligentes et docti viri variantes vtriusque testamenti lectiones summo studio congesserunt? in quibus collectionibus vera cuiuscunque loci lectio omnino superest, et ope artis criticae a doctis viris maxime restituitur, ita vt minime efficiatur inde, non amplius πᾶσαν γραφὴν esse θεόπνευστον, quoniam in quibusdam locis variae occurrant lectiones. Diuinae voces vere supersunt, etiamsi in quibusdam locis veram nesciamus, tamen diuinae doctrinae sensus vbique remanet incorruptus. Haec et alia eiusmodi generis leguntur in libris summe Venerabilis doctissimique Semleri, de Canone, in multis locis, e. g. P. I. p. 116. 266. 268. Iis rebus, quae diuinam quibusdam derogarent libris sacris auctoritatem, accensuerunt viri docti leges Iudaeorum praescribentes cultum leuiticum, et quae ad illum

ſpectant; affirmantes, ea omnia fere, cui Moſes ſummam laudem tribuerit, et affinxerit neceſſitatem, non eſſe ita comparata, vt diuinum auctorem ſaperent. Prouocant ſimul ad epiſtolas Paulinas, vt videantur patrocinium ſuae cauſae in ipſis ſacris literis habere, et oſtendunt, Paulum ipſum, Apoſtolum Ieſu Chriſti, de legibus Moſaicis contemtim loqui, quas Moſes ſupra modum laudaret. Praecipue verba, quae Gal. IV, 9. leguntur, laudant, vbi Paulus praecepta Moſaica vocat ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ ςοιχεῖα, i. e. rem infirmam et leuem, ſeu nullius pretii, et exinde colligunt, nec in Dei cultu a Moſe inſtituto, nec in legibus iſtum praeſcribentibus diuini quid ineſſe, ideoque ipſo Paulo auctore vilipendenda eſſe, et, vt diuina auctoritate indigna, eiicienda e ſacra ſcriptura. Hoc autem virorum doctiſſimorum noſtraque laude maiorum iudicium fere eſſe temerarium, aequi rerum arbitri agnoscent, qui diuerſum modum ac conſilium, diuerſam temporis rationem obſeruandam eſſe in dictis, quae ſibi contradicere videntur, norunt. Pretium, quod Moſis tempore cultui leuitico ſtatuebatur propter adumbrationem ſacrificii Chriſti, non amplius ipſis Chriſti temporibus valuit, et gloria Chriſto competens, non potuit tribui iſtius vmbris. Proinde ſi comparationem inſtituas inter praeſtantiam Chriſti et adumbrationem eius per cultum leuiticum, ſane hic recte ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ ςοιχεῖα nominatur, qui ſuo tamen tempore erat res vtiliſſima et praeſtantiſſima. Vt diuerſa fuerunt eccleſiae tempora, decebat etiam diuinam ſapientiam, diuerſis temporibus, ſiue diuerſis aetatibus eccleſiae, diuerſimode cum eccleſia agere. Cum enim certis de cauſis non viſum eſſet Deo, ſtatim mittere filium ſuum, neceſſe fuit, vt pedetentim et paulatim, donec iſte ſol iuſtitiae oriens tenebras noctis prorſus depelleret, lux affulgeret eccleſiae. Plane ſe res habet in Dei oecono-

conomia, ſicut, auctore Apoſtolo, in conuerſatione patris cum filio. Nam, non ſolet pater cum filio puero aliter agere, quam ſi puer ſeruus eſſet, licet ſit filius et heres: non aperit ei animum ſuum, neque enim aetas illa capax eſt ſignificationis tam nudae et apertae, moris et mentis paternae: ſed vbi filius peruenit ad aetatem adultam, pater ſolet cum eo agere familiarius, ac primum incipit exuere ſeueritatem illam paterni vultus, et cum filio mentis ſuae arcana communicare. Duo prius liceat, quam ab hac diſputatione diſcedam, monere, quae tum ad conciliandi modum ſpectant, tum ad totam diſputationem, quae hodie de eo agitur, an omnia, quae videantur in Vet. Teſtamento ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα eſſe, ex ſacris literis ſint eiicienda. Dudum ipſi Iudaei obſeruarunt, optimam eſſe conciliandi rationem eam, quae interueniente tertio aliquo ſcripturae loco peragitur et confirmatur; ſi nimirum duo verſus ſibi inuicem contradicant, ſuspendendum eſſe iudicium ſtatuunt tam diu, עד שיבוא הכתוב השלישי ויכריע ביניהם, donec veniat locus tertius et praeponderet inter eos. De qua re Io. Henr. Hottingeri verba in Theſ. philol. p. 230. huc transſcribere me non poenitet. Apparet hinc, ait, quam fuerint Iudaei in conciliandis ſcripturis ſacris religioſi. Nihil certe veritati conuenientius, nihil ad vindicandam ſcripturae auctoritatem opportunius, nihil denique pro optimi interpretis partibus commodius dici potuiſſet. Viderunt nempe, non in ipſam ſtatim debachandum eſſe ſcripturae maieſtatem, ſi vel maxime nos difficiliora quaedam eius exerceant loca, aut ἐναντιοφάνεια occurrat: ſed laborandum potius, vt, per συμβίβασιν, ſeu collationem, omnia apte in bibliis cohaerere, et obſcuriora, aut in ſpeciem pugnantia loca, ab ipſo Spiritu ſancto, alibi clarius loquente, conciliari, demonſtremus. Haec ille. Nunc exemplum ſupra

allega-

allegatum obseruationi subiiciemus. Moses laudauit leuiticum cultum et promisit, omni felicitatum genere cumulatum iri, qui ex mandatis istis viuerent. Paulus contra, sabbatha, ac festa nouiluniorum iudaica, varia sacrificia et leges de omnibus istis rebus, appellat τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, quae nullam potuissent dare cuidam perfectionem et abrogata essent, διὰ τὸ αὐτῶν ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές; propter infirmitatem earum rerum et inutilitatem, lex enim ceremonialis expiare non valet. Quid fiet adeo cum istis, quae de tota legis oeconomia habentur in scripturis? num eiicienda tanquam inutilia, et expungenda, vt Dei verbo indigna, et ab ipso Apostolo pro inutilibus pronunciata? Neutiquam! Christus enim se arbitrum constituit Matth. XI, 13. et dixit: πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. Quibus hoc voluit dicere, oeconomiam legalem vsque ad Ioannis aduentum in pretio fuisse, nunc autem abrogatam. Legis et Prophetarum nomine Christus non euangelicas conciones, quae in Mosis et Prophetarum scriptis extant, sed conciones proprie legales, et typos Messiae intelligit. Quanquam igitur Moses et Prophetae vaticinati sunt duntaxat vsque ad Ioannem; et Christus est impletio ac finis legis, Rom. X. libri tamen Veteris Testamenti nihilominus in ecclesia legendi, et omnia, quae continentur in istis, suo loco ad insignes vtilitates et aedificationem piorum accommodanda sunt. Alterum quod monendum mihi sumseram, est hoc. De scripturae sacrae diuina auctoritate tutius rectiusque non potest iudicari, nisi vbique respicias Christum. Reuelationis enim supernaturalis necessitas aliter vix probari potest, nisi dicas, eum in finem Deum illam procurasse, vt homines inde omnes cognoscant medium reconciliationis nostrae cum Deo, et redemtorem, qui effecerit eam, Iesum Christum,

et ordinem, quo participes possimus gratiae reconciliationis fieri. His positis, et quis repugnaret? non potuit non fieri, quin omnia in sacris literis V. T. haberent respectum ad Christum, seruatorem hominum, et ex hoc lucem suam veram libri biblici omnes fere acciperent, isti etiam, qui genealogiae Christi particulas tantum continent. Cum enim redemtio hominum, per Christi perpessiones et mortem perficienda, non potuit, inde ab origine mundi, omnibus diebus fieri, sed oportuit Christum opus certo quodam tempore suscipere et perficere, facile cognoscitur, ea tempora, quae ante Christi aduentum praeterfluxerunt, eosque libros, qui tum ad eruditionem hominum in doctrina de Christo scripti sunt, non potuisse ea luce collustratos esse, qua lucent, qui post peractam hominum redemtionem, et postquam sol iustitiae omnia clarissima luce collustrauit, sunt conscripti. Tanquam cum filiis pueris Deus olim agere debuit cum hominibus, Seruatore Christo nondum nato, quibuscum post eius natiuitatem grauiora quasi tractare potuit. Quicunque haec circa lectionem sacri codicis negligunt, non possunt non in pluribus locis res diuina *Maiestate* non dignas, multa leuia, non lectu digna, et ἐναντιοφανείας sine numero deprehendere: qui autem scopum scripturarum sacrarum vbique praefixum habebunt Christum, cognoscent, tam amice praecepta omnia, monita vitae, exempla ad imitationem proposita, cultuum cumprimis instituta, conspirare, vt ad vnam omnia formata expressaque cernantur ideam, et ex vno promanasse fonte, ita autem distributa, vt omnibus omnium temporum hominibus, quae sibi prosunt, attributa videas. Praestantissimi omnium temporum Theologi de hac re ita statuerunt, vt sibi persuaserint, lectionem bibliorum sacrorum, praecipue Vet. Testamenti, quae negligat venturum Messiam, nil

 vtili-

vtilitatis prolaturam esse: ad vnicum enim eundemque scopum omnes collineant libri sacri, qui est Christus Seruator. Quo pertinet illud Augustini tract. 9. in Ioan. Non sapit vetus scriptura, nisi Christus in ea intelligatur. Quae non ita sunt intelligenda, ac si in omnibus omnino scripturae verbis et effatis proxime de Christo Mediatore agatur, quod qui ostendere student, se literasque sacras contemtui exponunt; sed hoc modo, vt credas, omnia instituta Mosaica, totamque eius oeconomiam respexisse ad Christum. Satis liquet, Paulum Apostolum auocare studuisse Hebraeorum animos, a studio rituum et ceremoniarum, ad Christum solum, Cap. XIII. Ep. ad Hebraeos, hoc pacto; etsi veteres Iudaei in iis ritibus se exercuerunt, non inde tamen vllum fructum, sed a Christo, ad quem omnes ritus, omnia instituta, omnia sacrificia spectabant, salutem consecuti sunt; Christus enim, χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, est idem heri, hodie, et in aeternum, hoc est, nunc Seruator non est ita, vt olim non fuerit, atque vt non sit futurus in aeternum Seruator. In hoc sensu verba Augustini sunt accipienda; Biblia sacra sunt legenda, ac si sanguine Christi per totum scripta essent, i. e. vbicunque legas in sacris literis, et videas leuia, in se quidem inutilia, et ad excolendum animum nequaquam apta, credas, vel totum, cuius partes sunt, vel ipsas partes respectum quendam habere ad mediatorem Deum inter et homines. Videntur mihi, pro qualicunque meo iudicio, in hoc, viri doctissimi, qui, multa in scripturis occurrere nimis leuia, diuinae Maiestati minus congrua, et sibi hinc illinc repugnantia, iudicant, peccare, quod scopum scripturae praestantissimum et cuius gratia praecipue Deus curauit, vt conscriberentur libri sacri, rationem reconciliandi nos cum Deo per Christum nimis leuiter tangant, et modo sententias acutas, apophthegmata, disciplinam

plinam et praecepta virtutum vbique desiderent. Quid enim aliter sibi volunt acutissimi isti, et in caeteris non satis laudandi viri, qui talem instituendi rationem a sanctis scriptoribus postulant, omnibus quae sit omnium temporum hominibus conueniens et vtilis, et nullas res, quae genti, populo, regioni, certis moribus sint propriae, et vsui communi, vt putant, nihil profuturae contineat, quam alium, praeter Christum, obtrudere scripturae sacrae scopum. Ita tamen sensim permutasse videntur sententiam suam viri laudati, vt, quae omnium vsui non satis respondent in literis sacris, non eiicienda prorsus cupiant, sed doctrinae Noui Testamenti non aequiparanda censeant, et Christianis, ne toties V. T. legant, quoties Noui Test. praecepta perlustrent, suadeant. Quis huic consilio contradiceret? Satis dixisse nos putamus de iis, quae, ad conscribendam qualemcunque hanc commentatiunculam, nos denuo excitauerunt, et aliquatenus impulerunt; quia amici, quibus consilium nostrum olim susceptum, commentandi quaedam de profectionibus Abraami e Charris satis est notum, nos interdum viserunt, quod quidem refellere alios incepissemus, nostram autem sententiam, nec explicauissemus satis, nec absoluissemus. Defungemur itaque haecce scribendo nostro officio, non ea tamen capti fiducia, vt crederemus, viris doctissimis nos esse satisfacturos: de quorundam suffragiis non mediocriter gaudebimus.

His praemissis ad ipsam disputationem veniendum est, qua statuendo, ad minimum bis Abraamum e Charris profectum esse in Chananaeam, Mosen et Stephanum, diuersimode de hac re disputantes, conciliabimus, et rei veritatem argumentis, vt speramus, idoneis euincere studebimus. Ita autem, vt statim in limine humanissimus lector nostram

intel-

intelligat mentem, verſabimur, vt ante omnia rem ipſam, Moſen inter et Stephanum controuerſam, de Abraami e Charris profectionibus in Chananaeam clare et diſtincte proponamus. Deinde ſententiam de pluribus, praecipue duplici Abraami e Charris profectione, ad dirimendam controuerſiam et componendam 'Εναντιοφανειαν diſtincte fideliterque enarrabimus, vt facillimam commendabimus, et rationibus, quas probabilitas admittit, corroborabimus: tum Anonymi cuiusdam propoſitam ad pugnam inter Moſen et Stephanum dirimendam, conciliandi modum, cui noſtrae ſententiae refutationem adiecit, huc transſcribemus; poſt eandem refutabimus: porro nos variorum in hac re errorum accuſatos defendemus; et tandem qualis vtilitas ex tota hac in ſacros libros retundet diſputatione Deo volente adiiciemus. Non tanta ſumus arrogantia, vt exiſtimemus, hanc commentatiunculam omnibus chriſtianis, omni tempore viuentibus, fore vtiliſſimam, quae omnimoda vtilitas ne quidem ſacris literis poteſt adſcribi: ſed, vt fieri ſolet, alii hoc ſtudiorum genere, alii delectantur alio, ideo ſatis laboris et fructus nos percepiſſe et meſſuiſſe exiſtimauerimus, cum pauci aequi harum rerum iudices haec legerint, nec inutiliter nos collocaſſe operam in hac re elaboranda, iudicauerint. Scribebam Portae, Menſe April. MDCCLXXVI.



CON-



CONSPECTVS CAPITVM.

CAP. I.

Profectiones Abraami e Charris in Chananaeam a Mose et Stephano descriptae. Pugna inter sacros scriptores exinde orta. Alter viuo parente Thareo, alter eo defuncto, Abraamum e Charris exiisse, asserit. Variae Interpretum et Chronologorum sententiae de facienda medela.

CAP. II.

Optima conciliandae pugnae ratio proponitur. Abraami natalis designatur. Bis exiisse eum e Charris, demonstratur, primum viuo, deinde mortuo patre. Omnia argumentis fulciuntur.

CAP. III.

Contrariae rationes obiiciuntur. Obiecta argumenta diluuntur.

CAP. IV.

Noua cuiusdam anonymi sententia de egressu Abraami e Charris, non mortuo, sed viuo patre Thareo, auctoris verbis narratur.

CAP. V.

Argumentis inuictissimis nouus conciliandae pugnae modus refellitur.

CAP. VI.

Vtilitas totius disputationis docetur. Causae των ἀλυτων et ἐναντιοφανων in scripturis sacris occurrentium indicantur.



CAPVT



CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

Multa intellectu difficiliora et ἐναντιοφαινομενα occurrunt in ſacra ſcriptura. Talis ἐναντιοφανεια deprehenditur in Moſis et Stephani ſeu Lucae deſcriptione, qua tempus profectionis Abraami e Charris definiunt. Variae doctorum virorum ſententiae proponuntur. Prima, vel Moſis narrationem, vel Stephani orationem corruptam eſſe, ſtatuit, quae refellitur. Altera mutat natalem Abraami, et totis ſexaginta annis poſteriorem facit contra ſcripturae et veterum teſtimonium. Tertia duplicem ſtatuit Abraami e Charris diſceſſum, quae quodammodo Petauiana dici poteſt, et a nobis defenditur. Vltima ſententia plane noua et inaudita interpretatur verba graeca Stephani, longe alio, quam genius linguae graecae ferre poteſt, modo.

Libros ſcripturae ſacrae fere omnes aliquid continere reconditi, quo humani acies ingenii vix penetrare valeat, omnes vnanimi conſenſu confirmant interpretes. Plurima quidem, quae ſunt neceſſaria ſaluti, facillime ſunt intelligenda et exponenda, at nonnulla, pretioſa quidem illa, ita tamen comparata, vt iis abſque pernicie carere poſſis, quae ad delicias biblicas pertinent, et a quibusdam male ad

 detur-

deturbandam fidem diuinam allegantur, summa industria et improbo eruenda sunt labore. Eiusmodi deprehenditur difficultas in historia *Mosis*, vbi profectio Abraami e Charris describitur, et *Stephani* Protomartyris oratione, qua Abraamum e Charris migrasse in Chananaeam post obitum Tharei asseritur. Breuiter, at perspicue huius proponam difficultatis rationem, vt Lectores humanissimi ἄλυτον, quod in his locis occurrit, intelligant, et quo commentatiuncula haec praecipue spectet, statim in limine perspiciant. Moses diuinus historicus affirmat, Abraamum natum esse anno aetatis Tharei 70. Genes. XI, 26. vbi haec leguntur verba: וַיְחִי־תֶרַח שִׁבְעִים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־אַבְרָם אֶת־נָחוֹר וְאֶת־הָרָן׃, i.e. Thareus vixit septuaginta annos, et genuit Abraamum, Nachorem, et Haranem. In quo graeca LXX. interpretum verba conueniunt cum hebraicis, quae sunt: Καὶ ἔζησε Θαρὰ ἔτη ἑβδομήκοντα, καὶ ἐγέννησε τὸν Ἅβραμ, καὶ τὸν Ναχὼρ, καὶ τὸν Ἀράν. Deinde addit Moses, exiisse Abraamum e Charris anno suae aetatis 75. Genes. XII, 4. his verbis: אַבְרָם בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁבְעִים שָׁנָה בְּצֵאתוֹ מֵחָרָן׃, i.e. Abraamus septuaginta et quinque annorum exiit e Charris. Ergo Tharei 145. Tandem Stephanus in splendidissima ad summum Synedrium Hierosolymitanum oratione pronunciat, profectum esse Abraamum e Charris post mortem Tharei. Τότε ἐξελθὼν, ait Actor. VII, 4. ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. Κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. Denique tamen confirmat Moses, Thareum 205. aetatis anno mortuum esse: pergit enim Gen. XI, 32. וַיִּהְיוּ יְמֵי־תֶרַח חָמֵשׁ שָׁנִים וּמָאתַיִם שָׁנָה וַיָּמָת תֶּרַח בְּחָרָן׃ quumque essent dies Tharei, quinque anni, et ducenti anni, mortuus est Thareus Charris. Inde inter Mosen pugna oritur et Stephanum. Cum Thareus, qui 205. annos vixit, aetatis suae 70. genuit Abraamum, qui anno aetatis suae

ſuae 75. exiiſſe e Charris dicitur, neceſſario efficitur, Stephanum in oratione falſa retuliſſe, conſtituendo profectionem Abraami e Charris demum mortuo Thareo. Contra vero ſi Stephani orationem fundamenti loco ponas, efficitur, Moſen Abraami natalem falſo in annum 70. Tharei conieciſſe, qui ad annum 130. vitae eius pertineret. Ne quid obſcuri humaniſſimo Lectori relinquatur, quod ipſe in meis non ſentiam verbis, Hieronymi verba de hac re, quae in Quaeſt. ſiue Traditionibus hebr. leguntur, adiiciam. Si enim, inquit, Thara, pater Abraae, cum adhuc eſſet in regione Chaldaea, ſeptuaginta annorum genuit Abraam, et poſtea in Chanaan ducenteſimo quinto aetatis ſuae anno mortuus eſt: quomodo nunc poſt mortem Thare Abraam exiens de Charra, ſeptuaginta quinque annorum fuiſſe memoratur, cum a natiuitate Abraae vsque ad mortem patris eius, centum triginta quinque fuiſſe anni doceantur? Hieronymus eodem loco hanc quaeſtionem indiſſolubilem vocat, et quicquid tandem explicandi cauſſa addit, quod egreſſus ſit Thareus cum filiis ſuis de igne Chaldaeorum, quibus verbis exprimit hebraica באור כשדים, frigidum et a ſimplicitate ſcripturae alieniſſimum cenſet Mercerus. Non tantum Hieronymus hanc quaeſtionem perdifficilem iudicauit, cum Auguſtino de Ciuitate Dei lib. XVI. cap. XV. qui: Erit quippe, ait, ſi ita eſt, indiſſolubilis quaeſtio; ſed e recentioribus ſcriptoribus Ioſephus Scaliger in Animaduerſionibus Euſebianis, p. 17. etiam verba Stephani crucem vocat, omnibus fixam interpretibus: Imitemur, inquit, modeſtiam vetuſtiſſimorum Iudaeorum, qui vbi in nodum vindice dignum inciderunt, hoc modo defunguntur, Elias ſoluet. At omnes iſti, qui cum Scaligero, aliis, ita ſenſerunt, et ἐναντιοφανειας rationem penitius inſpexerunt, nequaquam intermiſerunt conferre, quae ad conciliationem locorum facerent, bene edocti, in ſcripturis ſacris canonicis nullam eſſe veram contradictio-

 nem,

deturbandam fidem diuinam allegantur, ſumma induſtria et improbo eruenda ſunt labore. Eiusmodi deprehenditur difficultas in hiſtoria *Moſis*, vbi profectio Abraami e Charris deſcribitur, et *Stephani* Protomartyris oratione, qua Abraamum e Charris migraſſe in Chananaeam poſt obitum Tharei affe- ritur. Breuiter, at perſpicue huius proponam difficultatis rationem, vt Lectores humaniſſimi ἄλυτον, quod in his locis occurrit, intelligant, et quo commentatiuncula haec praecipue ſpectet, ſtatim in limine perſpiciant. Moſes diuinus hiſtoricus affirmat, Abraamum natum eſſe anno aetatis Tharei 70. Geneſ. XI, 26. vbi haec leguntur verba: וַיְחִי־תֶרַח שִׁבְעִים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־אַבְרָם אֶת־נָחוֹר וְאֶת־הָרָן׃, i. e. Thareus vixit ſeptuaginta annos, et genuit Abraamum, Nachorem, et Haranem. In quo graeca LXX. interpretum verba conueniunt cum hebraicis, quae ſunt: Καὶ ἔζησε Θαρὰ ἔτη ἑβδομήκοντα, καὶ ἐγέννησε τὸν Ἀβραμ, καὶ τὸν Ναχὼρ, καὶ τὸν Ἀράν. Deinde addit Moſes, exiiſſe Abraamum e Charris anno ſuae aetatis 75. Geneſ. XII, 4. his verbis: אַבְרָם בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁבְעִים שָׁנָה בְּצֵאתוֹ מֵחָרָן׃, i. e. Abraamus ſeptuaginta et quinque annorum exiit e Charris. Ergo Tharei 145. Tandem Stephanus in ſplendidiſſima ad ſummum Synedrium Hieroſolymitanum oratione pronunciat, profectum eſſe Abraamum e Charris poſt mortem Tharei. τότε ἐξελθὼν, ait Actor. VII, 4. ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. Κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. Denique tamen confirmat Moſes, Thareum 205. aetatis anno mortuum eſſe: pergit enim Gen. XI, 32. וַיִּהְיוּ יְמֵי־תֶרַח חָמֵשׁ שָׁנִים וּמָאתַיִם שָׁנָה וַיָּמָת תֶּרַח בְּחָרָן׃ quumque eſſent dies Tharei, quinque anni, et ducenti anni, mortuus eſt Thareus Charris. Inde inter Moſen pugna oritur et Stephanum. Cum Thareus, qui 205. annos vixit, aetatis ſuae 70. genuit Abraamum, qui anno aetatis ſuae

ſuae 75. exiiſſe e Charris dicitur, neceſſario efficitur, Stephanum in oratione falſa retuliſſe, conſtituendo profectionem Abraami e Charris demum mortuo Thareo. Contra vero ſi Stephani orationem fundamenti loco ponas, efficitur, Moſen Abraami natalem falſo in annum 70. Tharei conieciſſe, qui ad annum 130. vitae eius pertineret. Ne quid obſcuri humaniſſimo Lectori relinquatur, quod ipſe in meis non ſentiam verbis, Hieronymi verba de hac re, quae in Quaeſt. ſiue Traditionibus hebr. leguntur, adiiciam. Si enim, inquit, Thara, pater Abraae, cum adhuc eſſet in regione Chaldaea, ſeptuaginta annorum genuit Abraam, et poſtea in Chanaan ducenteſimo quinto aetatis ſuae anno mortuus eſt: quomodo nunc poſt mortem Thare Abraam exiens de Charra, ſeptuaginta quinque annorum fuiſſe memoratur, cum a natiuitate Abraae vsque ad mortem patris eius, centum *triginta* quinque fuiſſe anni doceantur? Hieronymus eodem loco hanc quaeſtionem indiſſolubilem vocat, et quicquid tandem explicandi cauſſa addit, quod egreſſus ſit Thareus cum filiis ſuis de igne Chaldaeorum, quibus verbis exprimit hebraica באור כשׂדים, frigidum et a ſimplicitate ſcripturae alieniſſimum cenſet Mercerus. Non tantum Hieronymus hanc quaeſtionem perdifficilem iudicauit, cum Auguſtino de Ciuitate Dei lib. XVI. cap. XV. qui: Erit quippe, ait, ſi ita eſt, indiſſolubilis quaeſtio; ſed e recentioribus ſcriptoribus Ioſephus Scaliger in Animaduerſionibus Euſebianis, p. 17. etiam verba Stephani crucem vocat, omnibus fixam interpretibus: Imitemur, inquit, modeſtiam vetuſtiſſimorum Iudaeorum, qui vbi in nodum vindice dignum inciderunt, hoc modo defunguntur, Elias ſoluet. At omnes iſti, qui cum Scaligero, aliis, ita ſenſerunt, et ἐναντιοφανειας rationem penitius inſpexerunt, nequaquam intermiſerunt conferre, quae ad conciliationem locorum facerent, bene edocti, in ſcripturis ſacris canonicis nullam eſſe veram contradictio-

 nem,

nem, quoniam illae a Deo ipsomet immediate inspiratae, et virorum θεοπνεύςων manu ceu calamo Spiritus sancti exaratae. In superioribus seculis omnes fere ita statuebant christiani, et nemo ex ἐναντιοφανειαις aduersus scripturae sacrae diuinitatem insurgebat: sed quae pugnare videntur, ait Flacius part. 2. Clav. pag. 38. nostra culpa ex ignorantia talia esse aestimantur, quia vel res vel sermonem non intelligimus, vel circumstantias non satis expendimus. Nostro autem tempore ita colligunt viri doctissimi: quorum librorum auctores sibi contradicunt, isti non diuinae possunt esse originis; ergo abiiciunt particulas sacrarum scripturarum, imo totos libros, et elaborant in eo, vt nouum librorum diuinorum catalogum efficiant, in quibus, ex istorum sententia, nil vel Deo indignum, vel vni tantum populo terrarum proprium, occurrat, nec vllae ἐναντιοφανειαι legantur. Quicquid sentias de intempestiuo hoc virorum doctorum studio, id tamen exinde colligas, quo tempore propter aduersariorum impetus omnia, quae in sacris literis leguntur, diligentius et accuratius examinantur, eo ἐναντιοφανειαι etiam maiori cura sunt examinandae et expendendae. Quae cum ita sint, liceat ante varias virorum doctorum opiniones de hac re proponere et breuiter examinare, quam ad nostram proponendam aliorumque iudicio subiiciendam progrediamur. Nemo vero ita me ingenio otioque abundare putet, vt omnibus doctorum hominum de difficili hac re sententiis enumerandis, lectores obtundam, cum consilii mei institutique rationi sufficiat hoc, vt cunctas opiniones ad certas classes referam, et quae sententia prae caeteris sese mihi veritatis specie commendet, et quomodo ea rationibus, ex textu sacro et natura rei petitis, sit confirmanda, ostendam. Si omnes lustrarimus, qui de conciliando Stephano in hac re cum Mose aliquid scripserint, ad tres commode classes reuocari videntur posse. Prior, quae paucis placuit, ratio componendi dicta Stephani

et

et Moſis eſt, quae vel ſeriem narrationis Moſaicae interrumpit et Stephanianae orationi accommodat, vel hanc ad illius normam, quaſi corrupta ſit, reſtituit. Morinus in Pent. Samar. exercitat. 4. cap. I. aſſerit, in exemplari Samaritano ſic legi, *et fuerunt dies Thare* 145 etc. qui tamen in textu hebraeo, ducenteſimo quinto aetatis ſuae anno mortuus dicitur. Verum iſtius codicis νοθεία ab Hottingero Exerc. Antim. et aliis probata eſt: et Simeon de Muis in cenſura exercitationum Morini in Pentateuchum Samaritanum pag. 58. caet. inquit, verum quid cauſae eſt, quod Hieronymus ad ſoluendam indiſſolubilem, quam vocat, quaeſtionem, Samariticum exemplar, quod habebat in manibus, non conſuluerit, ac nullam eius ſaltem, vt alias interdum ſolet, mentionem fecerit. Non alia ſane cauſa eſſe poteſt, quam iſtud Samariticum exemplar flocci fecerit etc. Mihi autem videtur veriſimilius, allegatam a Morino in exemplari iſto Samaritico, quo vſus eſt Hieronymus, non extitiſſe lectionem; alioqui enim cauſam non videmus, cur Hieronymus hic perinde ac alibi differentiam inter exemplar iſtud ac textum hebraeum non notaret. Multo minus ii audiendi ſunt, qui, Stephanum concionis aeſtu lapſum eſſe memoria, aiunt, quapropter incaute dixit Bucholcerus in Iſag. Chronol. verba Stephani cum grano ſalis eſſe accipienda, et Acta ad Geneſin, ceu lignum ad normam, exigenda. Quam ſententiam aliquo modo iſti amplecti videntur, (ita tamen, vt ex incuria tantum ſcribarum commutationem eſſe factam ſibi perſuadeant) qui πριν η Actor. VII, 2. in locum μετα το, et hoc in illius locum transpoſitum eſſe ſtatuunt, et reſtituendo quamcunque vocem in ſuum, vt putant, locum, ſenſum inde Stephani verbis congruentem talem affingunt, vt, iſtum nil omnino de exitu Abraami mortuo patre Thareo dixiſſe, ſibi et aliis perſuadeant. Qui viri docti eo progreſſi ſunt, vt hunc nodum non ſoluere, ſed ſecare non dubitauerint, ſciant, hunc

locum

locum nondum ita depositum conclamatumque esse, vt ad vltimum illud medicinae auxilium nobis sit decurrendum. Consensus codicum omnium, et amica interpretationum conspiratio, satis, opinor, horum verborum auctoritatem ab iniuria nimis seuerorum criticorum vindicant. Quam multa sunt in sacris libris, quae dicuntur ἄπορα, e quibus audaciores quique Chronologi nullo se negotio explicant: prudentiores tamen inscitiam fateri malunt, quam perspicuam verborum auctoritatem nouis commentis eludere. Atqui non sic impedita est quaestio, vt propterea vadimonium deserendum sit.

Alteram classem, qui auctoritati sacrae scripturae diuinae, conciliando Mosen et Stephanum, consultum iuerunt, pono eorum, qui Abraamum volunt non septuagesimo, sed centesimo trigesimo anno Tharei natum esse, qui idcirco annos a diluuio ad natalem Abraami plures computant, nempe 352. vel (si Cainanum inseras, cui annos 30. tribuunt) 382. Ad hoc asylum quamplurimi scriptores confugiunt, opinantes, verba Mosis ordinem filiorum Tharei non exprimere, sed ita explicanda esse: *Thara erat* septuaginta annorum, quando primum liberos generare incepit, inter quos fuerunt Abraam, (vt pater fidelium primo nominatus) Nahor, (primogenitus) et Haran (secundo genitus.) Non satis liquet, an patrum quorundam sententia huc redierit, etsi e veteribus Chrysostomo et Theodoreto a nonnullis tribuatur, vt Abraami natalem in centesimum trigesimum Tharei annum coniecerint. Isaacus Vossius autem, qui in Dissertat. de aetate mundi summa hanc causam vehementia egit, *Minime audiendi* sunt, ait, qui septuagesimo Tharae anno Abraamum natum fuisse, contendunt. Rectius illi, qui in annum patris 130. natalem eius coniiciunt, ac primogenitum fuisse negant, sed dignitatis ergo primo nominari statuunt, quod ipsum quoque in Noachi libe-

ris

ris contigit, non enim Sem, ſed Iaphet maximus natu erat. Argumenta, quae pro vulgari opinione afferunt Scaliger et Petauius, frigida ſunt, nec confutatione digna. Si ex nudis verbis et vehementia, qua prolata ſunt a Voſſio, ad argumentorum vim valeret concluſio, actum eſſet de mea ſententia, et omni, quem in hac re ſuſtinenda ſuſcepi, labore. Sed ſi ad argumenta Scaligeri et Petauii reſponſionem tentare placuiſſet Voſſio, aliter forſitan ſenſiſſet. Auguſtus Pfeiferus Dub. vex. pag. 105. pluribus hanc defendit ſententiam: cui Iunius et Tremellius accedunt, qui, teſte Glaſſio in Philol. S. Lib. III. Tract. III. Can. 3. p. m. 751. ad verba Geneſ. XI, 26. cum vixiſſet Terach ſeptuaginta annos, genuit Abraamum, et Nachorem, et Haranem, h. e. gignere coepit, ita commentati ſunt: *Et primo quidem* genuiſſe Haranem, hac ratione conſtat: Therach pater anno aetatis 205. Charane mortuus eſt, Geneſ. XI, 32. Mortuo patre Abram Charane abiit peregrinatum in terram Chanaan, Act. VII, 4. In abitione illa Abram natus erat ſeptuaginta quinque annos, Geneſ. XII, 4. Subtractis his 75. annis aetatis Abraami, a 205. aetatis Terach, remanent 130. anni aetatis Terach, et hoc anno genuit (*vti conſtat*) Abraamum. Gignere autem is coepit anno aetatis ſeptuageſimo. Igitur ſexaginta annis a primogenito diſtat Abram. Ad probandam hanc opinionem allegant fautores hunc canonem: Verbum, quod actum completum ſignificat, accipiendum quandoque inchoatiue. Et quid inde? Sumunt verbum *genuit* pro *gignere coepit*, et ſic pro demonſtrato habent, Abraamum, etſi primo loco inter filios Tharei nominetur, non eſſe primogenitum. Sed cum *genuit* poſitum eſt pro *gignere coepit*, nonne hic emerget ſenſus: Thareus gignere coepit Abraamum, et gignere coepit Nachorem, et gignere coepit Haranem? At vero hoc quid eſt? num rei difficultatem hac ratione ſublatam cenſes? num nullus horum, Abram, Nahor et Haran, perfecte genitus eſt, ſed tantum gigni coepti?

coepti? Ad hoc cur descendant auctores huius sententiae, allegant eiusmodi rationem, vt ostendant, modum loquendi permittere hoc, si dicant, Abraamum esse vltimum inter tres Tharei filios, et honoris tantum gratia primo loco esse nominatum. Nonne autem erroris argui videtur Moses, imo mendacii, hac adhibita explicandi ratione? quicquid adiiciant defensionis exinde, quod Abraamo, licet inter filios Tharei primus nominetur Genes. XI, 26. 27. illud non ratione generationis et aetatis, sed respectu dignitatis et excellentiae propter electionem et benedictionem, contigerit, cui in sequenti capite respondebitur.

Tertia denique classis est eorum, qui bis ad minimum Abraamum e Charris exiisse statuunt, eiusque natalem isti anno, cui Moses disertis verbis adscripsit, relinquunt, et omnia, quae pugnare videntur, ita componunt, vt legibus verae interpretationis satisfaciant et auctoritatem scripturae sacrae diuinam vindicent, quae componendi ratio nobis videtur optima. Ex eo enim tempore, quo nos aliquid in sanctis literis earumque interpretandi ratione et modo videre et intelligere, adeoque eam etiam de profectionibus Abraami e Charris mortuo patre Thareo difficultatem, eiusque plurimas expositiones cognoscere cepimus, ea, quam Dionysius Petavius de doctrina temp. T. II. Lib. 9. c. 18. et in Rationario P. II. Lib. 2. Cap. 2. accuratius, et e S. Patrum numero Augustinus Quaest. XXV. super Genes. et de Ciuitate Dei Lib. XVI. cap. 15. ac post eum alii paulo obscurius prodiderunt, conciliandi ratio mirifice animo nostro se insinuauit ita, vt examinatis reliquis, hanc probabilissimam, facillimam et aptissimam cognosceremus. Pro ea itaque, quantum tenuitas virium permitteret, certare iam tunc decreueramus; et quoniam post Petauium variis denuo fuit exposita aduersariis, constitue-

ſtitueramus data occaſione denuo eam proponere, et aduerſus contradicentium obiectiones defendere, cui rei ſequens aſſignavimus caput, certa ſpe freti, capite demum quinto ita ſatisfactum iri omnibus aduerſariorum reſponſionibus, vt ne quis ſupereſſe videatur dubitationi locus. Antequam id fiat, commemoranda eſt noua cuiusdam auctoris opinio, quae quartam quaſi claſſem conſtituit eorum, qui occupati fuerunt in dirimenda ἐναντιοφανεια inter Moſen et Stephanum intercedente. Scripſit iſte disquiſitionem exegeticam de exitu Abraami ex Haran, viuo, non mortuo, patre Tharah, in qua oſtendere niſus eſt, verba μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ͂, non ſignificare, mortuo patre, ſed viuente iſto, vt hoc modo ſaepius allegata pugna inter Moſen et Stephanum tollatur. Non memini, me vnquam apud vllum ſcriptorem eiusmodi interpretationem, ab vſu loquendi plane abhorrentem, et ſcriptori ſacro aliam omnino ſententiam, quam in mente habuit, affingentem, legere; cum tamen omni cura et diligentia ſuam exornare cauſam, et de repetita Abraami e Charris migratione refellere ſententiam quaeſiuerit, noſtrum erit, vt mentem doctiſſimi auctoris vberius explicemus, et defendendo Petauium, leges interpretandarum literarum ſacrarum violaſſe doceamus. Illud autem melius quomodo fieri poſſet, non videmus, quam vt laudati auctoris disquiſitionem exegeticam, quoad praecipua capita, quia in pauciſſimorum hominum manibus eſſe videtur, huc transferamus, et in caput tertium coniiciamus, cui reſponſionem capite quarto et refutationem adiiciemus. Caeterum non aegre feret quisquam hanc nimis fere extenſam ſcribendi rationem, neque male interpretabitur, quod in librum accreuerint, quae paucis expedienda erant, qui cogitauerit, quo plures de re quadam ſcripſerunt, et in diuerſas explicandi et probandi rationes abierunt, eo magis implicatur et irretitur res, eo plura impedimenta ſuperanda, quam ipſam aggredi,

 ex-

explicare et demonſtrare poſſimus. Recenſent inſuper theologi inter interna diuinae ſcripturae, et ex natura eius ac proprietatibus reſultantia argumenta, concinnam librorum ſacrorum harmoniam, et ita concludunt: Quae ſcriptura tam conſtans vbique ſibi, et aequali filo pertexta, vt nihil in ea hiulcum, nihil alteri aduerſum, et contrarietate quadam appareat ſuſpectum, non poteſt non eſſe diuina; ſed haec concludendi ratio, quae olim valebat, non amplius noſtro valet ſeculo. Multi enim doctiſſimorum virorum ita iam ſtatuunt de ſacris literis: Quae ſcriptura continet contradictiones, et varias res Deo indignas, ea non poteſt eſſe θεόπνευστος. Nunc autem ſcripturam ſacram huius vitii accuſant et efficiunt inde probationem diuinae auctoritati ſcripturae ſacrae contrariam. Quo diligentius eiusmodi generis argumenta hodie colliguntur, eo accuratius omnia huc ſpectantia denuo ſunt examinanda et expendenda.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Sententia de migratione e Charris duplici in Chananaeam, vt probabilissima et commodissima ad dirimendam ἐναντιοφανειαν commendatur. Natalis Abraami neutiquam est permutandus, quem a Thareo genitum anno eius septuagesimo scriptura docet. Argumenta adducuntur firmissima. Primum e natura historicae narrationis desumtum. Obiectiones diluuntur. Alterum ex aduersariorum obiectione deductum, qua euincere student, Abraamum honoris caussa primum locum inter fratres in narratione Mosaica obtinere. Contrarium ostenditur. Omnium seculorum consensus allegatur. Breue diagramma aetatis Abraami. Summa Petauianae sententiae de duplici migratione Abraami e Charris in Mesopotamiam, ad conciliandum Stephanum cum Mose, enarratur. Tria capita rei constituuntur, quorum prius docet migrationem Abraami ex Vre Chaldaeorum in Charras: alterum, profectionem e Charris primam viuente adhuc patre Thareo: tertium, secundam profectionem e Charris in Chananaeam, mortuo parente et sepulto. Omnia probantur et illustrantur argumentis et testimoniis.

Animos hominum ita a natura esse comparatos, vt duabus aut pluribus sententiis in re dubia a viris doctis propositis, ad illarum vnam praecipue inclinent, ipsamque suam quasi faciant, nullus, nisi qui se ipse nunquam attendit, ignorat. Quid est ergo, quod nos impediat, ea, quae nobis probabilia videantur, sequi; quae contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitare, fugere temeritatem. Probabilior, quam amplector, sententia ad dirimendam ἐναντιοφανειαν inter Mosen et Stephanum semper nobis visa est Augustino et Petauio probata, de duplici Abraami e Charris exitu, quam etsi iam

antea ab vno et item altero allatam ſcio, tamen, quoniam inprimis Petauius eam defendit maiorique auctoritate confirmavit, non dubito Petauianam appellare; haec autem facillime omnem tollit pugnam et partes diſſidentes coniungit. Supra iam diximus, interpretes, vt tollant ſcrupulum ſexaginta annorum, qui in Chronologia ex diuerſis natalis Abraami annis exoritur, et ἐναντιοφανειαν inter Moſen et Stephanum componant, in varias, praecipue tres abire partes. Quidam aut Moſis aut Stephani verba corrupta eſſe coniiciunt, et apud Moſen pro 205 legendos eſſe annos 145. aut apud Stephanum πρὶν ἢ cum μετὰ τὸ permutatum eſſe; alii ſequuntur verba Stephani, ſicuti in editionibus noſtris leguntur, et vim inferendo verbis et ordini Moſis, quo nominauit filios Tharei, mutant natalem Abraami: alii denique praeferunt Moſen, et mirum in modum eloquia Stephani detorquent. Noſtra autem ſententia vtrique ſcriptorum ſacrorum ſuum relinquit textum, nihil ſtatuit corrupti aut adulterini, ſed hoc ponit pro certo, Moſen et Stephanum de diuerſis migrationibus Abraami e Charris, illum de priori, hunc de poſteriori et vltima loqui. Cum autem, paucos futuros eſſe, qui verbis noſtris, ſine allegatis firmiſſimis argumentis, fidem habeant, facile intelligimus, rem noſtram explanabimus argumentisque corroborabimus.

Ante omnia igitur ſcriptura ſacra duce oſtendemus, ordinem filiorum Tharei, Abraam, Nachor, Haran, neutiquam eſſe permutandum, ſed Abraamum vere ſeptuageſimo patris ſui Tharei anno, non centeſimo trigeſimo eſſe natum; quod vltimum Bonfrerius in Geneſ. cap. XI. Glaſſius in Philol. S. Libr. III. Tract. III. can. 3. p. m. 547. Aug. Pfeifferus in dub. vex. p. 94. aliique plurimi recentiorum falſo ſibi perſuaſerunt: quibus ab Aegidio Strauchio in Op. chronol. Part. ſpec. lib. IV. cap. 5. adiunguntur, Nicolaus de Lyra, Caluinus, Caietanus, Martyr,

Martyr, Torniellus, Musculus, Beroaldus, Salianus, Pareus, Iunius, Henricus Philippi, Iacobus Capellus, Ludouicus Capellus, Temporarius, Vſſerius, Interpretes Belgae, Wilhelmus Langius, Wichmannus, et Iſaacus Voſſius in diſſert. de aet. mundi, pag. 259. deinde quomodo ex iſto Abraami natali redundans difficultas circa exitum eius e Charris a Petauio docte et probabiliter ſublata ſit, ſuis verbis non turbato ordine narrabimus: tandem vero Petauii mentem pluribus verbis exponemus et neceſſariis, quas admittit res probabilis, probationibus corroborabimus; id vero optime fiet, ſi eandem ab obiectionibus doctorum virorum vindicaturi ſumus. Noſtrum erit, perſpicue et breuiter dicere; Tuum vero, humaniſſime Lector, pro doctiori et acutiori Tuo iudicio iudicare, et quid in cauſa noſtra ſperandum ſit, iubere.

Fundamentum et cardo praeſentis ἐναντιοφανειας eſt Abraami annus natalis, cuius certitudinem poſt alios ita ſtatuemus, vt omnium certiſſimi et ſanctiſſimi ſcriptoris *Moſis* verba, quibus annum, de quo quaeſtio eſt, definit, perpendamus, et ab iniquis interpretationibus vindicemus. Ita vero docet Geneſ. XI, 26. וַיְחִי תֶרַח שִׁבְעִים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־אַבְרָם אֶת־נָחוֹר וְאֶת־הָרָן׃ i. e. vixit Thareus ſeptuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran. Nihil dilucidius his verbis deſiderari, nihilque clarius aut expreſſius fingi poſſe, vel parum interpretationis regulas edoctus videt: attamen propter Stephani narrationem facere ſe neceſſario dicunt recentiorum quidam, vt anno Tharei 130. natum eſſe Abraamum aſſerant. Neque ſibi contrarium Moſen in allegatis verbis putant eam ob rationem, quia iſte tres filios ſimul nominet, neque definiuerit, quo ordine, et quo anno quisque natus ſit. Nobis exploratiſſimum eſt, Abraamum a patre genitum eo anno, quem Moſes in ſcripta retulit, aetatis ſeptuageſimo, eundemque primogenitum

tum esse. Operae tamen pretium nos facturos existimamus, argumenta quaedam verbis Mosis in se claris, sed extrinsecus obscuratis addando, quibus mentem illius clarissimam fore speramus.

Primum argumentum contineat ille canon: *Quoties in scriptura sacra historice maxime quippiam narratur, nude ac simpliciter accipienda verba ipsa sunt, eo sensu, quem prae se ferunt, nisi aliud inde sequatur, quod absurdum aut pugnans videatur.* Ad haec verba videor summum aduersariorum audire clamorem, meam orationem ita interrumpentium: Nunc autem hic locus est talis, ex quo absurdum et pugnans sequitur: efficitur enim exinde, vel *Mosen*, dicendo Genes. XII. Abraamum septuagesimo quinto suae aetatis anno e Charris exiisse, vel *Stephanum* Act. VII. affirmando, ipsum mortuo patre Thareo exiisse, falsa retulisse, si id verum est, quod itidem *Moses* indubie asserit, Thareum anno aetatis suae ducentesimo quinto mortuum fuisse. Sed vltima canonis verba me statim defendent, quae sunt: *idque ipsum conciliari aliter nequeat.* Iam vero non deest modus, haecce inuicem conciliandi; nam parum versatus in scriptis exegeticis et chronologicis scire potest, a variis varias huius ἐναντιοφανείας componendae rationes esse manifestatas et declaratas. Quo canone velut fundamento constituto, pernegamus, Abraamum alio quam septuagesimo anno patris esse genitum, quoniam hunc annum diserte scriptura concipit. Sed attendendum est, quod dicunt cum Glassio et Pfeiffero locc. citt. reliqui contrariae sententiae fautores ita concludentes: quoniam scilicet post illa verba, et Thareus vixit septuaginta annis, trium filiorum simul mentio fieret, quos genuisset Thareus, neque diceretur, quo anno quisque istorum genitus sit, effici incertum, quicunque filiorum primogenitus sit, num Abraamus, Nachor aut Charan. Praeoccupant porro responsionem nostram, dicentes, neque id sibi

contra-

contrarium esse, quod Abraamus primo loco nominetur, quasi ipse propterea sit existimandus primogenitus; potius, eum morem sacras literas interdum obseruare, pergunt, vt dignitatis et honoris caussa primo loco nominent aliquem, qui non esset primogenitus, cuius rei exempla proferunt, e. g. illud filiorum Noemi, quorum natiuitatis ordo ducitur ex Genes. X. vbi illorum posteri recensentur; ibi autem sic disponuntur, Iaphet, Cham, Sem. Semus itaque, non quasi fuerit primogenitus, sed ob continuatum in eius familia Dei foedus, primus vulgo nominatur. Ideo probant inter Noachi filios Semo primum locum tribui, cum Iaphetum primogenitum fuisse constet, quam conclusionem Buddeus in Hist. Eccl. V. T. Sect. III. §. 1. p. 255. addit. Huic sententiae patrocinantur etiam Auctores Notarum Geneuensium ad Petauium, ad Cap. 2. libr. II. Ration. dicentes: *Scripturae non insolens est, vt in liberis referendis dignitatis potius, quam naturae siue temporis ordinem obseruet, ac in Abraamo id factum esse, Lirani, Vatabli, Caietani, Haruillei, Tornielli, Saliani, Iacobi Capelli, Ludouici Capelli, et aliorum plurimorum est opinio.* Imo ex antiquioribus expressa Procopii Gazaei sententia fuit, diserte affirmantis, Abraamum natum esse anno Tharei non 70. sed 130. Quem sane non terreat a contradictione tantorum Virorum auctoritas et doctrina? Nihilominus tamen alterum proferre argumentum non timemus, quo id, quod nimirum in sacra scriptura interdum honoris caussa primo loco aliquis nominetur, in recensione filiorum Tharei factum esse, pernegatum ibimus.

Diligenter et accurate instituta historicae Patriarcharum post diluuium enumerationis consideratione, quisque prudens intelliget, Mosen Genes. XI. humani generis aetatem a diluvio ad Abraami ortum per eos annos putare, quibus quisque Patriarcharum filium illum genuit, qui ad seriem pertinet.

 Sunt

Sunt vero, vt facile videre eſt, Patriarchae, qui genuiſſe dicuntur, numero nouem, ſummoto Abraamo: nimirum Sem, Arphachſad, Salah, Eber, Peleg, Regu, Serug, Nachor, Thara: totidem ſunt, qui geniti memorantur, quorum poſtremus eſt Abraamus, primus Arphachſad. Quis autem Interpretum fuit, qui vnquam dubitauerit, quin octo priores Patriarchae iis parentum annis nati ſint, qui a Moſe ponuntur: vt puta Thareus anno Nachoris XXIX. Nachor anno Serugi XXX. Serugus anno Regi XXXII. Regus anno Pelegi XXX. Pelegus anno Eberi XXXIV. et ita reliqui, per quos annorum ab diluuio ſumma decurrit. Quum hic autem a Moſe accuratiſſime ſeruatus ordo regulae quaſi vim ſibi arrogat, praecipientis, vt *in quo parentum anno nati dicuntur Patriarchae, in eo etiam vere nati exiſtimentur*, nil impedit, quo minus certo certius affirmemus, non eſſe conſentaneum, alteri, quam ſeptuageſimo patris anno, ortum Abraami adſcribere: cum ſcriptura ſacra diſertis verbis anno Tharei 70. natum aſſerat Abraamum, qui praecipuum ſane in ea ſerie locum ſibi vindicat, adeo vt eius propemodum vnius cauſa narratio haec et enumeratio Patriarcharum inſtituta ſit. *Multo* magis abſit, vt putemus, quod non niſi abſurdiſſimum videri poteſt, eius natalem annum praetermiſſum eſſe a Moſe, in quem praecipue animum et ſtilum intendebat ſuum: fratrum contra Abraami aut amborum aut alterius notatos eſſe, qui obiter tamen et vnius Abraami cauſa commemorantur, non vero Abraamus propter eos. Recte Abulenſis, Quaeſt. 31. in cap. XI. Geneſ. quem citat Petauius in Ration. Temp. P. II. L. II. C. 2. obſeruat, cum Noemi filiorum trium nomina et progeniem Moſes retuliſſet, in vnius tamen Semi ſtirpe annum aetatis numerauit, quo Arphachſadum genuit, quod et deinceps, vt idem Petauius obſeruat, in Iſaaci et Iacobi ortu fecit, omiſſis annis, quibus nati erant Iſmael et Eſau. Quaenam fingi igitur cauſa poteſt, pergit Petauius loc. c.

cur,

cur, cum Tharei posteritatem per Abraamum potissimum scriptura sacra propagare vellet, eius ortum in obscuro reliquerit, imo fucum fecerit, ac ludicra ambiguitate lectorum iudicia frustrata sit. *Vixit*, ait Moses, Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aram. Vt nihil de temporum confusione dicamus, si aduersa sententia accipiatur! Nam incassum Moses exactissimus historicus subsequentium Epocharum mentionem fecisset, quae natalem Abraami, fundamenti instar, supponunt. Id tandem non intelligeretur, quare Abraamus promissionem diuinam de filio sibi centum annos nato factam, tanquam rem inauditam miraretur, si Thareus senex centum et triginta annorum ipsummet Abraamum genuisset.

Si ex eorum essemus numero, qui in plerisque temporum annorumque quaestionibus suarum sententiarum momentum in auctorum numero ac multitudine collocant, atque propterea antiquos ac recentes, magnos ac minutos scriptores omnes, catholicos et haereticos, doctos ac indoctos, qui idem secum sentiant, percensere solent, gloriari de totius fere antiquitatis assensu possemus. Nemo enim veterum, qui quidem aliquo est numero, aliter vnquam verba Mosis Genes. XI, 26. accepit, quam quod anno septuagesimo quinto Tharei Abraamus in lucem editus sit; quod ne contrariae quidem partis auctores inficiari audent, imo, se a communi Patrum et Interpretum opinione discessisse, vltro fatentur. Non defuerunt quidem ex recentioribus nonnulli, qui e veteribus Chrysostomo et Theodoreto hanc sententiam tribuerunt; at res dubio non caret, ait Aegidius Strauchius in breuiario chronol. Parte spec. L. IV. c. 5. imprimis, addit, quod Theodoretum attinet, cui explicatio illa, quae in catena Patrum hodie legitur, falso adscribitur, cum alterius cuiusdam auctoris sit, quicunque tandem ille fuerit. Vnicum adiicere liceat, Iacobi Gordoni te-

ſtimonium, qui praeter ea, quae in Opere Chron. Tom. I. cap. 5. num. 8. et initio cap. 6. de hac re disputauit, in Commentariis ad S. B. Geneſ. Cap. XI, 26. Aliqui, ait, natum putarunt Abraamum anno Thare 130. quod paſſim propugnat noſter Salianus, et ſane diligenter. Vnde nascitur in annis chronologicis diſcrimen 60. annorum. Ego natum puto, pergit, anno Thare 70. En mox breue diagramma: a quo, ob alibi firmatam iam a me Chronologiae rationem, non diſcedo.

Anno aetatis Thare 70		Aetas Abraam.
		Nascitur Abraam primogenitus.
145	75	Profectio Abraae ex Haran in Chanaan.
	60	Mora Abraae in Chanaan circiter an. 60.
205	135	Secunda profectio, ſeu reditus Abraae in Chanaan, de qua loquitur Steph. Act. VII.
	175	Obiit Abraam, Geneſ. XXV.

Diſſentiunt ergo, pergit Gordonus l. c. ab hac Abraae Chronologia, qui vnicam tantum agnoſcunt profectionem Abraae in Chanaan; illam, inquam, de qua Stephanus Act. VII. quae incidit in Thare 205. annum, quo Thare etiam obiit. Negant ergo priorem profectionem in Chanaan, et moram ibi 60. fere annorum, ante mortem patris. Certe horum ratiocinatio nihil, vt puto, euincit. Abraam, inquiunt, anno 75. aetatis ex Haran venit in Chanaan, vt ait ſcriptura. Sed haec profectio fuit

fuit vnica, et accidit tantum moriente patre, patris anno 205. Vtraque pars huius minoris falſa eſt apud me, ac proinde male colligunt natum Abraam anno patris 130. Rectius ſane natus ponitur Abraam anno patris 70. vt habet hic poſitum diagramma, et anno mundi 1978.

Quid igitur ſupereſt, quod abalienare poſſit animos noſtros ab iſta ſententia, vt vere ſcripturae ſacrae teſtimonio freti credamus, nullo alio, quam ſeptuageſimo quinto aetatis Tharei anno genitum eſſe Abraamum? Dices, nil niſi indiſſolubilis paene quaeſtio, quae ex diuerſis Moſis et Stephani narrationibus de migratione Abraami e Charris in Chananaeam oritur, videtur aſſenſum, quem haec ſententia meretur, detinere; verum ex Petauii ore difficillimae quaeſtionis ſolutionem audies, a nobis vero vlteriorem explicationem et defenſionem eius expectabis.

His Dionyſius Petauius de Doctrina Temp. Lib. IX. Cap. 18. p. 40. edit. Lut. Par. proponit rem verbis: *Sic omnem ordinamus hiſtoriam. Thare cum Vre Chaldaeorum eſſet, ſiue vt Deum liberius coleret, ſiue alia de cauſa, ſponte ſua migrauit in Meſopotamiam, Chaldaea relicta: quam Meſopotamiae nomine ſignificatam a Stephano credunt Interpretes. Et fuiſſe quondam Meſopotamiae contributam Babyloniam, teſtis eſt Plinius. Quod ſi verum eſt, non ſolum Thare, ſed etiam Abraamus migrationis illius auctor fuit, vtroque in eandem conſpirante ſententiam. In Chaldaea proinde primum vocatus eſt Abraamus. Id anno aetatis eius LXX. factum placet Iudaeis, vt auctor eſt Genebrardus. Nec mihi diſplicet. Tum vero egredi iuſſus eſt, et in terram proficiſci, quamcunque monſtraſſet Deus. Nondum enim certam regionem praefinierat. Haec prima vocatio a Stephano commemoratur. Secundum quam quinque fere annis Charris conſedit. Ita anno expleto LXXV. nouo mandato ſolicitatus eſt: Egredere, inquit, de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui,*

 Geneſ.

ſtimonium, qui praeter ea, quae in Opere Chron. Tom. I. cap. 5. num. 8. et initio cap. 6. de hac re disputauit, in Commentariis ad S. B. Geneſ. Cap. XI, 26. Aliqui, ait, natum putarunt Abraamum anno Thare 130. quod paſſim propugnat noſter Salianus, et ſane diligenter. Vnde naſcitur in annis chronologicis diſcrimen 60. annorum. Ego natum puto, pergit, anno Thare 70. En mox breue diagramma: a quo, ob alibi firmatam iam a me Chronologiae rationem, non diſcedo.

Anno aetatis Thare		Aetas Abraam.
70		Naſcitur Abraam primogenitus.
145	75	Profectio Abraae ex Haran in Chanaan.
	60	Mora Abraae in Chanaan circiter an. 60.
205	135	Secunda profectio, ſeu reditus Abraae in Chanaan, de qua loquitur Steph. Act. VII.
	175	Obiit Abraam, Geneſ. XXV.

Diſſentiunt ergo, pergit Gordonus l. c. ab hac Abraae Chronologia, qui vnicam tantum agnoſcunt profectionem Abraae in Chanaan; illam, inquam, de qua Stephanus Act. VII. quae incidit in Thare 205. annum, quo Thare etiam obiit. Negant ergo priorem profectionem in Chanaan, et moram ibi 60. fere annorum, ante mortem patris. Certe horum ratiocinatio nihil, vt puto, euincit. Abraam, inquiunt, anno 75. aetatis ex Haran venit in Chanaan, vt ait ſcriptura. Sed haec profectio

fuit

fuit vnica, et accidit tantum moriente patre, patris anno 205. Vtraque pars huius minoris falsa est apud me, ac proinde male colligunt natum Abraam anno patris 130. Rectius sane natus ponitur Abraam anno patris 70. vt habet hic positum diagramma, et anno mundi 1978.

Quid igitur superest, quod abalienare possit animos nostros ab ista sententia, vt vere scripturae sacrae testimonio freti credamus, nullo alio, quam septuagesimo quinto aetatis Tharei anno genitum esse Abraamum? Dices, nil nisi indissolubilis paene quaestio, quae ex diuersis Mosis et Stephani narrationibus de migratione Abraami e Charris in Chananaeam oritur, videtur assensum, quem haec sententia meretur, detinere; verum ex Petauii ore difficillimae quaestionis solutionem audies, a nobis vero vlteriorem explicationem et defensionem eius expectabis.

His Dionysius Petauius de Doctrina Temp. Lib. IX. Cap. 18. p. 40. edit. Lut. Par. proponit rem verbis: *Sic omnem ordinamus historiam. Thare cum Vre Chaldaeorum esset, siue vt Deum liberius coleret, siue alia de causa, sponte sua migrauit in Mesopotamiam, Chaldaea relicta: quam Mesopotamiae nomine significatam a Stephano credunt Interpretes. Et fuisse quondam Mesopotamiae contributam Babyloniam, testis est Plinius. Quod si verum est, non solum Thare, sed etiam Abraamus migrationis illius auctor fuit, vtroque in eandem conspirante sententiam. In Chaldaea proinde primum vocatus est Abraamus. Id anno aetatis eius LXX. factum placet Iudaeis, vt auctor est Genebrardus. Nec mihi displicet. Tum vero egredi iussus est, et in terram proficisci, quamcunque monstrasset Deus. Nondum enim certam regionem praefinierat. Haec prima vocatio a Stephano commemoratur. Secundum quam quinque fere annis Charris consedit. Ita anno expleto LXXV. nouo mandato solicitatus est: Egredere, inquit, de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui,*

 Genes.

Genes. XII. Quasi dicat, non solum de patria tua, quam dudum reliquisti, sed etiam de domo patris tui: quod in priore mandato, quod expressum a Stephano diximus, nondum cauerat Deus. Hactenus enim cum patre, et in paterna domo habitare permissus fuerat. Haec secunda vocatio est, quam solam Moses attigit. Incidit autem anno Tharei CXLV. Hoc responso permotus Abraamus in Chananaeam perrexit, comitante Loto; ibique LX. annis ad obitum parentis vsque perstitit. Sub eius mortem diuino, vt credibile est, instinctu Mesopotamiam repetiit, siue vt parentis funus curaret, siue vt hereditatis partem adiret. Indidemque postremo translatus a Deo in Chananaea permansit. Quem in Chananaeam reditum commate 4. Act. c. VII. Stephanus indicauit.

Tria constituenda erunt capita, ad rectius intelligendam Petauii mentem, quorum prius aget de translocatione Abraami ex Vre Chaldaeorum Charras, quam vocatio Dei a Stephano prolata antecessit: alterum docebit profectionem Abraami priorem e Charris in Canaanem Thareo adhuc viuente: tertium proponet reditum Abraami Charras et posteriorem completum exitum a Stephano indicatum, mortuo parente Thareo et sepulto. In priori capite narrationis Petauianae non diu morabimur, quia non ipsam rem tangit nostram, vbi de terra mouetur quaestio, vnde Abraamus primum exierit. Sunt vero opiniones hac in re tales, vt existiment quidam, Thareum cum Abraamo primum sponte sua ex patria Vre, in Chaldaea sita, migrasse in Mesopotamiam, et ibi deinde accepisse mandatum, quod describit Stephanus, de migratione, ideoque hi diuersam faciunt Chaldaeam et Mesopotamiam. Alii contra affirmant, Chaldaeos inter Mesopotamitas comprehendi, atque Charras in eadem atque Vr Mesopotamia fuisse sitas. Vid. omnino Fridericus Spanhemius Tom. II. P. I. Op. Chr. Perizonius in Origg. Babyl. Cap. VI. pag. 139. edit. Duckeri, Traj. ad Rhenum

num 1736. Vitringa Tom. II. P. I. aliique. Chaldaeam ad Meſopotamiam pertinuiſſe teſtatur Plinius lib. VI. cap. 26. Babyloniam ipſam inter Meſopotamiae terminos collocans, vt et Orchoen, quam Iunius et Tremellius Vrem eſſe putant. Conf. et Ioſephus lib. I. c. 8. qui Chaldaeos itidem Meſopotamitis accenſet, etſi ſpeciali nomine tractum illum, ad quem Charrae ſpectabant, Meſopotamiam vocatum eſſe conſtet. Cui disceptationi ne ſe immiſceat Petauius, ait ſimpliciter, Chaldaeam Meſopotamiae nomine ſignificatam a Stephano credere Interpretes. Quod ſi verum eſt, pergit, non ſolum Thara, ſed etiam Abraamus migrationis illius auctor fuit, vtroque in eandem conſpirante ſententiam. Quapropter Stephanus Act. Ap. Cap. VII, 2. 3. 4. et Moſes Geneſ. XI, 31. ſequentibus verbis vnum eundemque exitum deſcribunt: alter vocationem, alter profectionem. Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἀκȣ́σατε· ait Stephanus, ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραὰμ ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σȣ καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σȣ, καὶ δεῦρο εἰς γῆν ἣν ἄν σοι δείξω. Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. Cui Moſes loco citato addit: וַיִּקַּח תֶּרַח אֶת — אַבְרָם בְּנוֹ וְאֶת - לוֹט בֶּן — הָרָן בֶּן — בְּנוֹ וְאֵת שָׂרַי כַּלָּתוֹ אֵשֶׁת אַבְרָם בְּנוֹ וַיֵּצְאוּ אִתָּם מֵאוּר כַּשְׂדִּים לָלֶכֶת אַרְצָה כְּנַעַן וַיָּבֹאוּ עַד — חָרָן וַיֵּשְׁבוּ שָׁם׃, Thareus itaque cum Abraamo, (cuius migrationis vterque auctor fuit, vtroque in eandem ſententiam conſpirante,) et reliquis, egreſſus ex Vre Chaldaeorum venit Charras ſeptuageſimo Abraami anno, vt placet Iudaeis, ibique, ex mente Petauii aliorumque, quinque annis conſedit. Sed quibus rationibus nixus id affirmet, noſtrum erit indicare. Auguſtinus de Ciuit. Dei Lib. XVI. c. 16. Euſebius in Chronicis, et alii aliter ſentiunt in hac de commoratione Charris disputatione, cum quibus etiam Iac. Vſſerius in Annal. ad haec tempora in Chronol. S.

p. 149.

p. 149. Calouius in *Bibl. illuſtr.* ad Act. VII, 4. it. in *Chronol. ſacra* p. 149. conſentiunt, qui vnum tantum iſti commorationi aſſignant annum, omniaque ibi facta in vnius anni anguſtias coniiciunt, quod non adeo probabile videtur. Nos, pro Petauio pugnantes, dabimus ſuae ſententiae rationes. Moſes et Stephanus non breue videntur tempus in locis mox allegandis indicare, quo Charris permanſerint, ſed moram quandam innuere. Moſes enim Geneſ. XI, 31. ait: וַיָּבֹאוּ עַד־חָרָן וַיֵּשְׁבוּ שָׁם׃, et alio loco Geneſ. XII, 5. וַיִּקַּח אֶת־כָּל־רְכוּשָׁם אֲשֶׁר רָכָשׁוּ וְאֶת־הַנֶּפֶשׁ אֲשֶׁר־עָשׂוּ בְחָרָן׃, Et animas, quas acquiſiuerant. Ad verbum: Et animam (ſingulare pro plurali) quam fecerant. Aben Ezra exponit de ſeruis domi natis. Monet autem עשו fecerant, poſſe idem eſſe, quod קנו acquiſiuerant: vt Deuter. VIII, 17. עשה לי את־החיל הזה, i. e. acquiſiuit vel *comparauit mihi* facultates ſeu opes haſce. Nonnulli, vt R. Salomo, interpretantur haec verba de iis, quos inſtituerant ac in cultu Dei erudierant, atque exiſtimant, Abraamum viros proſelytos, Saram mulieres proſelytas feciſſe. Interea tamen ipſe R. Salomo fatetur, ſimplicem ſenſum eſſe: *ſeruos et ancillas*, quas comparauerant: cui explicationi Mercerus ſubſcribit, et ſimpliciſſimum eſſe putat, animas pro mancipiis et tota familia exponere. Ad acquirenda autem mancipia, opes, familiam, non breue, ſed longius tempus requiritur. Quod Stephani etiam innuitur verbis, qui vtitur ſequentibus, Act. VII, 4. Ἀβραὰμ κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν, vbi vocabulum κατοικῆσαι ex mente doctiſſimorum interpretum haud adeo breue tempus arguit. Quibus accedit et teſtis Achior Ammonites Iudith V, 6. 7. Populus iſte ex progenie Chaldaeorum eſt, ait, et primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldaeorum. Mox addit, praecepiſſe Deum illis, vt exirent inde et habitarent Charris, καὶ παρῴκησαν, pergit, ἐκεῖ

ἡμέρας πολλάς; quibus verbis vis vocabuli κατοικῆσαι egregie explicatur. Interim non existimandum, Petauium absque fundamento quinque annos, neque plures, neque pauciores assumsisse, sed ita colligit: Quoniam constat ex Genesi Cap. XII, 4. profectioni e Charris in terram Chananaeam assignatum esse annum aetatis Abraami septuagesimum quintum, et communis Iudaeorum opinio est, teste Genebrardo, eundem septuaginta annorum fuisse, cum ex Vre Chaldaeorum exiret, inde efficitur, per quinquennium circiter eum Charris commoratum. Vid. Petauius, qui egregie de his omnibus disserit et accuratissime probat, de doctrina Tempp. Lib. IX. c. XVIII.

Propius acceditur ad rem nostram in altero capite et membro, vbi verba supra citata ita fluunt: *Ita anno expleto LXXV. nouo mandato solicitatus est: Egredere, inquit Deus, de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, Genes. XII. Quasi dicat, non solum de patria tua, quam dudum reliquisti, sed etiam de domo patris tui; quod in priori mandato, quod expressum a Stephano diximus, nondum cauerat Deus. Hactenus enim cum patre et in paterna domo habitare permissus fuerat. Haec secunda vocatio est, quam solam Moses attigit. Incidit autem anno Tharei* 145. *Hoc responso permotus Abraamus in Chananaeam perrexit comitante Lotho, ibique* 60. *annis ad obitum patris vsque perstitit.* Circa haec verba pauca erunt monenda, quoniam antecedentibus positis, haec facile sequuntur. Quando enim septuaginta annorum fuit Abraamus, quum egrederetur e terra Chaldaea, et Charris deinde quinque annis commoratus est, nouum mandatum, quo postea solicitatus est, ad tempus anni expleti LXXV. est referendum. Alterum hoc mandatum solus Moses Genes. XII, 1. 4. refert, et sic habet:

 וַיֹּאמֶר

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־אַבְרָם לֶךְ־לְךָ *) מֵאַרְצְךָ וּמִמּוֹלַדְתְּךָ וּמִבֵּית אָבִיךָ אֶל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר אַרְאֶךָּ׃ וַיֵּלֶךְ אַבְרָם כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אֵלָיו יְהוָה וַיֵּלֶךְ אִתּוֹ לוֹט וְאַבְרָם בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁבְעִים שָׁנָה בְּצֵאתוֹ מֵחָרָן׃. Aliud hoc esse mandatum, quam a Stephano quod narratur, sequentia euincunt. Disertis affirmat Stephanus Act. VII, 2. 3. verbis, illud, quod ipse refert, mandatum a Deo datum esse Abraamo, ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. Ex Mosis contra narratione Genes. XII, 4. sole elucet clarius, quod mandatum ab ipso prolatum acceperit Abraamus, cum habitaret Charris, quoniam cum ipso coniungit verba: Tunc exiit Abraamus e Charris, quemadmodum praeceperat Dominus, et Loth cum eo profectus est. Intercedit etiam non leue discrimen inter haec duo mandata Dei, ex quo sententia mire confirmatur nostra. In priori enim, quod expressum a Stephano legimus, nondum cauerat Deus, vt Abraamus cum patria et cognatione sua relinquat domum patris sui. Hactenus enim cum patre et in paterna domo habitare permissus fuerat. Haec secunda vocatio est, quam solum Moses attigit, Genes. cap. XII. sub initio. Incidit autem, ait Petauius, haec secunda vocatio in annum Thare CXLV. Ad probandum hoc sufficit, vt repetamus, Abraamum natum esse anno Tharei LXX. (vt legitur Genes. XI, 26.) exiisse cum eo e Chaldaea Charras LXX. suae aetatis anno, ergo aetatis Tharei CXL. e Charris vero in Chananaeam solum profectum esse, postquam V. annos ibi consederit, ergo anno aetatis Tharae CXLV. Hoc altero responso permotus Abraa-

*) Ad verbum: Vade tibi. Rab. Sal. exponit להנאתך ולטובתך, i. e. ob vtilitatem ac commoditatem tuam. Vt nimirum illud לְךָ i. e. tibi, emphasin quasi habeat, nec ad sermonis duntaxat ornatum atque elegantiam faciat. Sic Lyra, litera, inquit, hebraica sic habet: vade tibi etc. ac si diceret, pro vtilitate tua vade longius a terra tua.

Abraamus, addit Petauius, in Chananaeam perrexit, comitante Lotho. Hoc itaque Dei mandatum causam primam, quare egressus est Abraamus e Charris, continet, et exitus hic prior est inter illos, quos Petauius ad conciliandum Mosen et Stephanum constituit, cuiusque conditionem omnem descriptam cum rebus, quae illum concomitantur, inuenis apud Mosen loc. cit. Quibus Mosaicis verbis recte perlectis a nemine negari poterit, Abraamum vere e Charris exiisse, illasque reliquisse, et Chananaeam adiisse: verum haud omnino i. e. πανοικεὶ illum exiisse, facile sibi persuaderi patientur ii, qui cogitabunt, viuo adhuc patre eius Thareo partem aliquam rei suae domesticae penes patrem remansisse. Et vero quid mirum est, inquit Iacobus Gordonus l. c. Abraamum non πανοικεὶ exiisse, cum sit probabilius, Abraam, iubente Deo, cito iuisse in Charram, et excurrentibus 60. illis annis, saepe inuisisse patrem, et rediisse. Nunc superest, vt et alteram profectionem a Petauio expositam, diligenter et attente audiamus, obseruemus.

Tertium disputationis nostrae caput Abraami proponit reditum Charras, alterumque completum discessum, a Stephano indicatum, post obitum Tharei. Fundamentum huius asserti in clarissimis adstructum legitur Stephani Act. Ap. VII, 4. verbis: Κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ̃, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. *Sub eius mortem*, pergit Petauius, *diuino, vt credibile est, instinctu Mesopotamiam repetiit, siue vt parentis funus curaret, siue vt hereditatis partem adiret. Indidemque postremo translatus a Deo in Chananaea permansit.* Interpretes, qui verba haec de eadem, quam Moses descripsit, migratione Abraami e Charris intelligunt, in innumeras incidunt difficultates, e quibus se expedire vix possunt; et, necesse est, vt dicant, vel annorum vitae Tharei numerum minuendum esse, vel Abraamum, vi-

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־אַבְרָם לֶךְ־לְךָ *) מֵאַרְצְךָ וּמִמּוֹלַדְתְּךָ וּמִבֵּית אָבִיךָ אֶל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר אַרְאֶךָּ׃ וַיֵּלֶךְ אַבְרָם כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אֵלָיו יְהוָה וַיֵּלֶךְ אִתּוֹ לוֹט וְאַבְרָם בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁבְעִים שָׁנָה בְּצֵאתוֹ מֵחָרָן׃. Aliud hoc esse mandatum, quam a Stephano quod narratur, sequentia euincunt. Disertis affirmat Stephanus Act. VII, 2. 3. verbis, illud, quod ipse refert, mandatum a Deo datum esse Abraamo ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. Ex Mosis contra narratione Genes. XII, 4. sole elucet clarius, quod mandatum ab ipso prolatum acceperit Abraamus, cum habitaret Charris, quoniam cum ipso coniungit verba: Tunc exiit Abraamus e Charris, quemadmodum praeceperat Dominus, et Loth cum eo profectus est. Intercedit etiam non leue discrimen inter haec duo mandata Dei, ex quo sententia mire confirmatur nostra. In priori enim, quod expressum a Stephano legimus, nondum cauerat Deus, vt Abraamus cum patria et cognatione sua relinquat domum patris sui. Hactenus enim cum patre et in paterna domo habitare permissus fuerat. Haec secunda vocatio est, quam solum Moses attigit, Genes. cap. XII. sub initio. Incidit autem, ait Petauius, haec secunda vocatio in annum Thare CXLV. Ad probandum hoc sufficit, vt repetamus, Abraamum natum esse anno Tharei LXX. (vt legitur Genes. XI, 26.) exiisse cum eo e Chaldaea Charras LXX. suae aetatis anno, ergo aetatis Tharei CXL. e Charris vero in Chananaeam solum profectum esse, postquam V. annos ibi consederit, ergo anno aetatis Tharae CXLV. Hoc altero responso permotus Abraa-

*) Ad verbum: Vade tibi. Rab. Sal. exponit לה נאתך ולטובתך, i. e. ob vtilitatem ac commoditatem tuam. Vt nimirum illud לָךְ i. e. tibi, emphasin quasi habeat, nec ad sermonis duntaxat ornatum atque elegantiam faciat. Sic Lyra, litera, inquit, hebraica sic habet: vade tibi etc. ac si diceret, pro vtilitate tua vade longius a terra tua.

Abraamus, addit Petauius, in Chananaeam perrexit, comitante Lotho. Hoc itaque Dei mandatum causam primam, quare egressus est Abraamus e Charris, continet, et exitus hic prior est inter illos, quos Petauius ad conciliandum Mosen et Stephanum constituit, cuiusque conditionem omnem descriptam cum rebus, quae illum concomitantur, inuenis apud Mosen loc. cit. Quibus Mosaicis verbis recte perlectis a nemine negari poterit, Abraamum vere e Charris exiisse, illasque reliquisse, et Chananaeam adiisse: verum haud omnino i. e. πανοικεὶ illum exiisse, facile sibi persuaderi patientur ii, qui cogitabunt, viuo adhuc patre eius Thareo partem aliquam rei suae domesticae penes patrem remansisse. Et vero quid mirum est, inquit Iacobus Gordonus l. c. Abraamum non πανοικεὶ exiisse, cum sit probabilius, Abraam, iubente Deo, cito iuisse in Charram, et excurrentibus 60. *illis annis*, saepe inuisisse patrem, et rediisse. Nunc superest, vt et alteram profectionem a Petauio expositam, diligenter et attente audiamus, obseruemus.

Tertium disputationis nostrae caput Abraami proponit reditum Charras, alterumque completum discessum, a Stephano indicatum, post obitum Tharei. Fundamentum huius asserti in clarissimis adstructum legitur Stephani Act. Ap. VII, 4. verbis: Κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ̃, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. *Sub eius mortem*, pergit Petauius, *diuino, vt credibile est, instinctu Mesopotamiam repetiit, siue vt parentis funus curaret, siue vt hereditatis partem adiret. Indidemque postremo translatus a Deo in Chananaea permansit.* Interpretes, qui verba haec de eadem, quam Moses descripsit, migratione Abraami e Charris intelligunt, in innumeras incidunt difficultates, e quibus se expedire vix possunt; et, necesse est, vt dicant, vel annorum vitae Tharei numerum minuendum esse, vel Abraamum, vi-

vente Thareo, e Charris exiisse, vbi Stephani verba misere torquentur, vel denique septuagesimum quintum Abraami annum aliunde quam ab anno Tharei septuagesimo, numerandum esse. Quodsi autem ponas duplicem exitum e Charris, quorum priorem Moses descripserit, viuo Thareo, posteriorem Stephanus notauerit, mortuo isto, omnia sunt plana et perspicua, et nec annorum numerus, nec ordo verborum, nec aliud quicquam permutari debet. Augustinus lib. XIV. de Civ. Dei cap. 15. distinguit inter profectionem et collocationem, et de ista loqui Mosen, ait, de hac autem Stephanum. Viuo patre profectus est Abraamus ex Dei mandato in Chananaeam, sed nondum firmam et fixam sedem ibi habuit: post patris autem obitum accepit quandam partem in terra Chananaea, quorsum verbum μετῴκισεν spectat, id enim est idem quod fecit μέτοικον: de quo in sequentibus, cum ad obiectiones respondendum erit, plura dicentur. At ne destituti videamur aliorum auctoritate, audiamus Augustinum lib. XVI. de Civ. Dei cap. 15. qui, Abraamus ex Charane exiit, ait, septuagesimo et quinto suo, patris autem sui centesimo quadragesimo quinto anno. Collocatio vero eius in terra Chanaan, non profectio de Charra, post mortem patris eius facta est, quia iam mortuus erat pater eius, quando emit terram, cuius ibi tanquam suae rei coepit esse possessor. Missis, ait Gerhardus in notis ad h. l. aliis expositionibus, optima omnino videtur, secundum quam duabus vicibus e Charane in Chanaan migrasse Abraamus statuitur, prima quidem, viuente adhuc patre Thare, altera vero hoc defuncto: et de hac posteriori migratione agere hic Stephanum, de priori Mosen. Quodsi vero diuersa migratio ex ipsis sacrorum scriptorum verbis colligenda, et omnis facile tollenda hoc modo difficultas, quare peruertunt quaeso interpretes annum Abraami natalem, vt ex his et Mosis verbis vnum eundemque exi-

tum

tum extorqueant? quare non potius, vt ſacri ſuadent ſcriptores, duplicem conſtituunt, et annum Abraami natalem ſecundum manifeſtiſſimam Moſis deſcriptionem in ſuo loco relinquunt? Ita ſane egregie doctiſſimus Petauius, duplicem ſtatuendo exitum Abraami egit, immutabilem Moſis relationem de anno Abraami natali aſſumſit, narrationem Moſaicam et Stephanianam, vt iſti poſtulant, ordinauit, duplicem exinde exitum collegit, cauſas valde probabiles appoſuit, et ἐναντιοφανειας compoſitionem rectiſſime ſine omni verborum contortione oſtendit. Eas plerumque explicationes veras eſſe et conciliationes, quae intellectu ſunt faciles, ſeque ſua ita lectorum animis inſinuant facilitate, vt paene extorqueant aſſenſum, cuique notiſſimum eſt; quem characterem ſi in Petauii conciliatione quaeras, certe inuenies, et paucas dubitationes, quae plenum animi forſitan aſſenſum differunt, profligatas inuenies. Tantum hoc Lectores admonitos volo, vt ſi Moſen et Stephanum enarrantes Abraamiticam hiſtoriam audiant, beneuole perpendant, neque hos duos ſcriptores potuiſſe, neque voluiſſe eandem vno eodemque modo pertexere, ſed quemque pro ſcopo et officio ſuo ſcripſiſſe et dixiſſe. Moſes, vt decebat hiſtoricum, praecipua fata, mutationes etc. ſtilo hiſtorico propoſuit: a Stephano vero non omnia viri iſtius expectanda erant fata, ſed ea tantum, quae quomodo Abraamus ex Vre Chaldaeorum in Chanaanem venerit, oſtenderent, ideoque prioris tantum diuini mandati et vltimae in Chananaeae regionem profectionis meminit, quod ab aliis etiam hiſtoricis factum eſt oratoribus, Ioſ. XXIV, 2. Nehem. IX, 7. Sic ad amuſſim omnia conſtant, ſine vlla ſcripturae παραςροφῇ, quam contrariae ſententiae declinare non poſſunt.



CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Obiectiones Anonymi aduersus nostram sententiam suismet verbis recitantur. Ad singulas respondetur. Prima asseritur obiectione, ἀπερ γραφῆς esse duplicem Abraami e Charris migrationem, cui opponitur diuersum sanctorum virorum consilium in describendis Abraami peregrinationibus, et diuersa ab vnoquoque scriptore adhibita verba, ex quibus coniicitur, vtrumque non de vna, sed diuersis migrationibus loqui. Ad alteram obiectionem, qua, vnde Stephanus habuerit, tacente Mose, alteram seu vltimam migrationem Abraami, respondetur, vel ex iisdem fontibus, vnde alia in Vet. Testamento non scripta allegarunt viri Apostoli, vel a Spiritu sancto, vel ex traditione vel orali vel scripta. Obiectio tertia e verbis Stephani, eiusque narrandi modo desumta, reiicitur, restitutis verbis Stephani in suum ordinem, et explicata voce καὶ per quamuis. Quarta obiectio, quasi Abraamo propter idololatriam Tharci non licuisset redire in eius domum, remouetur *distinctione* adhibita inter perpetuum domicilium et salutationem perbreuem. Opponuntur diuitiae Abraami, quapropter hereditatem parentis non curasset, sed et ad haec respondetur. Ad reliquas obiectiones breuissimis respondetur.

Quae huc vsque a nobis sunt disputata, ea quanquam ita comparata esse putamus, vt homini antecaptarum opinionum tanquam coecitate non capto facile probentur, neque adeo fusioris cuiusdam disputationis ope indigere videantur; tamen cum viris doctis, qui aliter sentiunt, placuit nostram de repetita Abraami e Charris profectione sententiam multorum accusare vitiorum, non me arbitrer tempus consumturum, si ad ista, vt ne vllus dubitationi relinquatur locus, breuiter ac perspicue respondeamus. Cum autem sibi sumserit ante aliquot

quot annos vir doctus in peculiari ſcripto, quod inſcriptum eſt: Disquiſitio exegetica de exitu Abraami ex Haran, viuo, non mortuo, patre Tharah, ad illuſtr. locum alias difficillimum, Actor. VII, 4. ſententiam Petauii refellere, et aliam plane nouam ad dirimendam, quae inter Moſen et Stephanum intercedit, ἐναντιοφανειαν, proponere: aduerſus ipſum praecipue noſtram dirigemus diſputationem, et tum reſpondendo ad eius obiectiones, tum nouam eius conciliandi rationem refutando, in reliquis noſtro ſatisfaciemus officio. Quoniam autem praevidemus, disquiſitionem modo laudatam in pauciſſimorum manibus eſſe, curaui, vt eius verba exſcriberentur et huc transponerentur: primo quidem ea, quibus ſe oppoſuit Petauio; deinde ſequenti capite reliqua, quibus expoſuit ſuam ſententiam; cui tandem noſtram adiiciemus refutationem. Sic ille ſectione prima §. 6.

„Primo fuerunt, qui conciliationem exitus Abraami cum morte et aetate Tharae Actor. VII, 4. Geneſ. XI, 32. XII, 4. ſic inſtituerunt, vt dixerint, Abraamum bis emigraſſe et veniſſe in terram Chanaan. Primo, anno aetatis ſuae ſeptuageſimo quinto (75), patre Thara adhuc viuo, et annum agente centeſimum quadrageſimum quintum (145), de quo exitu Moſen loqui Geneſ. XII, 4. Deinde eum in Haran ad viſendum patrem, vel tunc morti proximum, vel iam mortuum, rediiſſe, vt hereditatis paternae partem, ſibi competentem, acciperet. Demum, patre mortuo, eum ſecundo veniſſe in terram Chanaan, vt conſtanter ibidem habitaret, de quo poſtremo diſceſſu Stephanum agere, Actor. VII, 4. Ita Auguſtinus L. XVI. de Ciuitate Dei Cap. 15. et alii. Quae ſententia Walthero in Harm. bibl. p. 95. Bonfrerio in Geneſ. ad h. l. non videtur nimis improbabilis, et Io. Gerhardo optima, in Acta pag. 221. Sed horum nullus aliquid certi aſſerit; quis-

que

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Obiectiones Anonymi aduerſus noſtram ſententiam ſuismet verbis recitantur. Ad ſingulas reſpondetur. Prima aſſeritur obiectione, ἄτερ γραφῆς eſſe duplicem Abraami e Charris migrationem, cui opponitur diverſum ſanctorum virorum conſilium in deſcribendis Abraami peregrinationibus, et diuerſa ab vnoquoque ſcriptore adhibita verba, ex quibus coniicitur, vtrumque non de vna, ſed diuerſis migrationibus loqui. Ad alteram obiectionem, qua, vnde Stephanus habuerit, tacente Moſe, alteram ſeu vltimam migrationem Abraami, reſpondetur, vel ex iisdem fontibus, vnde alia in Vet. Teſtamento non ſcripta allegarunt viri Apoſtoli, vel a Spiritu ſancto, vel ex traditione vel orali vel ſcripta. Obiectio tertia e verbis Stephani, eiusque narrandi modo deſumta, reiicitur, reſtitutis verbis Stephani in ſuum ordinem, et explicata voce καὶ per quamuis. Quarta obiectio, quaſi Abraamo propter idololatriam Tharei non licuiſſet redire in eius domum, remouetur *diſtinctione* adhibita inter perpetuum domicilium et ſalutationem perbreuem. Opponuntur diuitiae Abraami, quapropter hereditatem parentis non curaſſet, ſed et ad haec reſpondetur. Ad reliquas obiectiones breuiſſimis reſpondetur.

Quae huc vsque a nobis ſunt disputata, ea quanquam ita comparata eſſe putamus, vt homini antecaptarum opinionum tanquam coecitate non capto facile probentur, neque adeo fuſioris cuiusdam disputationis ope indigere videantur; tamen cum viris doctis, qui aliter ſentiunt, placuit noſtram de repetita Abraami e Charris profectione ſententiam multorum accuſare vitiorum, non me arbitrer tempus conſumturum, ſi ad iſta, vt ne vllus dubitationi relinquatur locus, breuiter ac perſpicue reſpondeamus. Cum autem ſibi ſumſerit ante aliquot

quot annos vir doctus in peculiari scripto, quod inscriptum est: Disquisitio exegetica de exitu Abraami ex Haran, viuo, non mortuo, patre Tharah, ad illustr. locum alias difficillimum, Actor. VII, 4. sententiam Petauii refellere, et aliam plane nouam ad dirimendam, quae inter Mosen et Stephanum intercedit, εναντιοφανειαν, proponere: aduersus ipsum praecipue nostram dirigemus disputationem, et tum respondendo ad eius obiectiones, tum nouam eius conciliandi rationem refutando, in reliquis nostro satisfaciemus officio. Quoniam autem praeuidemus, disquisitionem modo laudatam in paucissimorum manibus esse, curaui, vt eius verba exscriberentur et huc transponerentur: primo quidem ea, quibus se opposuit Petauio; deinde sequenti capite reliqua, quibus exposuit suam sententiam; cui tandem nostram adiiciemus refutationem. Sic ille sectione prima §. 6.

„Primo fuerunt, qui conciliationem exitus Abraami cum morte et aetate Tharae Actor. VII, 4. Genes. XI, 32. XII, 4. sic instituerunt, vt dixerint, Abraamum bis emigrasse et venisse in terram Chanaan. Primo, anno aetatis suae septuagesimo quinto (75), patre Thara adhuc viuo, et annum agente centesimum quadragesimum quintum (145), de quo exitu Mosen loqui Genes. XII, 4. Deinde eum in Haran ad visendum patrem, vel tunc morti proximum, vel iam mortuum, rediisse, vt hereditatis paternae partem, sibi competentem, acciperet. Demum, patre mortuo, eum secundo venisse in terram Chanaan, vt constanter ibidem habitaret, de quo postremo discessu Stephanum agere, Actor. VII, 4. Ita Augustinus L. XVI. de Ciuitate Dei Cap. 15. et alii. Quae sententia Walthero in Harm. bibl. p. 95. Bonfrerio in Genes. ad h. l. non videtur nimis improbabilis, et Io. Gerhardo optima, in Acta pag. 221. Sed horum nullus aliquid certi asserit; quis-

que

que subscribit: Videtur. Aug. Pfeiferus autem eam sententiam, seu duplicem illum egressum, ceu ἄτερ γραφῆς adsertum, refutat reiicitque, in Dub. vex. p. 92. Idque sequenti efficit argumento, tum Stephanum loqui de ea translatione, quae coniuncta fuit cum prima promissione, de danda Abraae et semini eius terra, et facta est, cum nondum haberet liberos. At vero Abraamum anno aetatis 135. iam dudum accepisse promissionem, et suscepisse non Ismaelem modo, sed et Isaacum. Pergit vir doctus §. 7. ita: „Et licet haec conciliatio quibusdam videtur probabilis, accipi tamen ideo nequit, 1) quia est omnino ἄτερ γραφῆς, et ne literula quidem de isthoc duplici discessu in sacris extat; 2) et hinc arbitrarie absque omni asseritur fundamento, nec potest probari; 3) quia Deo iubente e patris domo sic exire debuit, vt ob iniquam parentis idololatriam, Deo et Abraamo ipsi odiosam, nec a Thara desertam, eo reuerti nec debuerit, nec voluerit; 4) quod reuersio Abraami in Haran ob hereditatem paternam dici nequit. Nam ipse abundauit diuitiis. Ideo regi Sodomitico, Berae, bona, sibi ab eo exhibita, recusauit, Genes. XIV, 21. 23. Quare ille patris curasse hereditatem non videtur. Et hoc est ἄτερ γραφῆς, textui illatum, non innatum. Admitti igitur ea nequit sententia". Haec ille. Nostrum nunc erit, vt ad singula respondeamus ita, vt non tantum compositio ἐναντιοφανειας nostra facilis, sed etiam, quod in hoc demonstrationis genere satis est, probabilis appareat. Prima eaque non leuis, quae nostrae conciliationi opponitur, dubitatio ea est, vt dicat vir doctus: *esse talem conciliationem omnino ἄτερ γραφῆς, et ne literulam quidem de isthac duplici migratione in sacris extare.* Faciles in eo sumus, vt concedamus, expressis verbis sacros quidem scriptores non loqui de duplici Abraami exitu, ita vt Moses, vel Stephanus, vel alius scriptor sanctus dicat, Abraamum bis ex Charran exiisse: sed id colligi posse ex compa-

ratione

ratione Mosaicae et Stephanianae narrationis, statim probabimus. Vterque quidem describit exitum quendam Abraami e Charris, id vero diuersis plane faciunt verbis. Moses enim ait Genes. XII, 4. Et exiit Abraamus, et Lothus cum eo, Abraamus vero septuaginta et quinque annorum erat circa exitum e Charris; deinde pergit: Itaque exierunt Abraamus, et vxor eius, et Loth, &c. vt proficiscerentur in terram Chananaeam. His verbis non indicatur, Abraamum anno septuagesimo πανοικεὶ i. e. omnino exiisse, nulloque tempore eo rediisse, sed simpliciter dicit Moses, accepto mandato diuino e Charris exiisse, et quidem septuagesimo suae aetatis anno. Nihil impedit, quo minus, si alia loca suaderent, eum rediisse, et alio tempore bona apud patrem relicta, aut ex eius hereditate accepta secum asportasse, id admittatur, non repugnant verba sancti scriptoris. Nunc vero conferas Stephani verba, quae vnumquemque docent, se loqui de omnimodo egressu, vbi omnia secum sumserit Abraamus, neque vnquam reuersus fuerit. Verbum enim μετοικίζειν, quod adhibetur in ista narratione, non solum notat translationem aut deductionem ad illum locum, vbi aliquamdiu aliquis commoraturus, et hinc inde profecturus esset, sed transportationem aliquam ad habitaculum et domicilium securum et perpetuum. Et profecto! si prius indicaretur, non potuisset dici, eum translatum esse tantum in Chananaeam, siquidem non illuc saltem venerat Abraamus, sed etiam in Egyptum, Philistaeorum et Sodomaeorum terras. Mentem Stephani vere esse talem, vel ex eo apparet, quod distinguit inter πάροικον εἶναι, i. e. peregrinum esse, et instar hospitis alicubi commorari, cap. c. v. 6. et inter κατοικεῖν, quod dicitur de eodem in aedibus patriis habitante, v. 4. et denique inter μετοικίζειν, eodem hoc commate, h. e. transferre in locum alienum instar domi habitandum. Atqui sic Abraamus habitauit Hebrone, ibique tanquam in terra

propria est sepultus. Stephanus itaque non emigrationem et peregrinationem, quam consequens eius ac terminum describit, sedem nimirum stabilem in terra, quam Abraamus et posteri eius inhabitarunt. Augustinus et alii emphasin graecae vocis *κατῴκισεν αὐτὸν* vehementer vrgent, et verti cupiunt non *transtulit*, sed *collocauit*. Quare autem tum demum translatus dicatur a Stephano Abraamus, vel vt legit Augustinus, collocatus in Chananitide, cum iam nullam bonorum partem extra illam haberet, quanquam in terra Chananaea per LX. annos iam vixerit, reddit non contemnendam rationem Petauius, cuius verba huc transscribere, eiusque sententiae esse me non poenitet. *Hactenus*, ait in Ration. Temp. P. II. L. II. c. II. *haud omnino, hoc est, πανοικεὶ migrauerat, cum pars aliqua eius domesticae rei penes patrem esset in Mesopotamia. Non est autem insolens in scriptura tum dici aliquid fieri, cum plene perfecteque fit, quamuis multo ante sit factum, vti plus vno loco docti scripturae Interpretes obseruant. Ergo inde, inquit Stephanus, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, μετῴκισεν αὐτὸν, penitus ac perfecte transtulit, re familiari ac seruitiis non amplius loco disiunctis, sed in vnum coactis, atque translatis.* Dicet aliquis: At Moses diligentissimus historiae Abraamiticae scriptor certe non intactum reliquisset alterum e Charris exitum in Chananaeam, si duplex fuisset? verum satis excusatum putabis istum, si ipsam alterius migrationis conditionem paullo diligentius obseruaueris. Ea sane fuit talis, vt vltima illa migratio in historia Mosis non efficiat praecipue memorandum momentum, quo neglecto incertitudo et difficultates se insinuarent in vitae Abraamiticae descriptionem. Etenim nulla peculiaris epocha incipit ab hoc egressu, nullus peculiaris rei euentus in isto ceu fundamento nititur: nulla res alia hac migratione ignorata turbatur, quod in priori illa, quacum coniunctae erant promissiones Abraamo factae, aliaeque

res

res notatu digniſſimae, longe aliter erat, propptereaque diligentiſſima animaduerſione conſignanda. Deinde cum reuerteretur Abraamus ex terra Chananaea in oppidum Charram, id non eo factum eſt animo, vt ibi iterum habitaret, vitaeque plurimam partem conſumeret, ſed aliquot menſium tantum fuit commoratio, vel hereditatis arceſſendae, vel alius rei cauſa ſuſcepta, ideoque non peculiari hiſtorici attentione digna. Ex his, quae a nobis hactenus ſunt disputata, intelligi poſſe exiſtimo, obiectionem, qua ab aduerſario Petauii de duplici migratione ſententia accuſatur, quod ſit ἄτερ γραφῆς, eatenus veram eſſe, quatenus deſiderantur verba expreſſa, ſed coniici poſſe, immo debere duplicem migrationem ex diuerſis Moſis et Stephani deſcriptionibus, ſat puto demonſtratum dedimus. Eo magis noſtram exiſtimo placituram eſſe viro docto ſententiam, quo magis exinde liquet, quare vterque ſcriptor ſanctus in alio aetatis Abraami anno exitum poſuerit: cognoſcetque (in quo alteram obiectionem poſuit) non arbitrarie absque omni fundamento et ſine argumentis Petauium aſſeruiſſe, Abraamum poſt primam migrationem aliquando rediiſſe, et tandem poſt patris obitum penitus reliquiſſe Charras.

Sed ex hac reſponſione noua oritur eaque intricatior difficultas, quam alii noſtrae opinioni obiecerunt, quamque verbis Auctorum notarum Geneuenſium ad Ration. Petauii Lib. II. Cap. II. proponere placet: *Sane ſi alius exitus*, aiunt, *qui a Moſe memoratur*, *alius qui a Stephano*, *illum ſecundum vnde habuit Stephanus? cuius ne vmbra quidem apparet in Moſe*, *qui ſolerti tamen diligentia omnia Abraami facta*, *dicta*, *manſiones*, *peregrinationes*, *locorumque mutationes perſecutus eſt. Qui igitur fieri potuit*, *vt Iudaeos perſuaſurus Stephanus*, *et de re ipſis ex ſolo Moſe cognita orationem habens*, *atque ex eiusmet oratione omnem vim faciens*, *aliter quam ipſe Moſes loqueretur*, *aut ab*

 ipſo

ipso Legislatore hac in re dissideret, cuius vna auctoritate fidem illis erat facturus. At vos, Viri docti! vnde habuit quaeso Stephanus alias res ad historiam populi Dei spectantes, quae vel nullibi omnino, vel aliter in historicis V. T. libris leguntur? vnde didicit Stephanus, Act. Ap. C. VII, 14. Iacobum ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε in Egyptum profectum esse, cum in Genesi Cap. XLVI, 27. a Mose tantum 70 homines numerentur, quem numerum quoque Iosephus habet: vnde didicit, quaeso, legem Mosis datam esse per ministerium Angelorum, Actor. Cap. VII, 53. de quo Moses ne minimum refert? Saluator noster optimus meminit in inuectiua sua ad Pharisaeos Matth. XXIII, 35. cuiusdam Zachariae, quem inter templum et aram Iudaei occidissent; vnde haec, quae nullibi scripta leguntur in Vet. Testamento, innotuerunt Iudaeis, et vnde hausit eadem Saluator? numquis ignorata responsione totius propterea narrationis veritatem in dubium vocare audeat? Balduinus addit in Comment. ad Zachar. C. I. p. 124. silentium scripturae nondum est causa sufficiens, vt factum hoc negemus. Quot alia asseruntur probabiliter, ait Gordonus in Commentario ad Cap. XII. Genes. quae scriptura non expressit? quae nemo vocabit falsa. Deinde si quis certam propositae quaestionis responsionem, vnde Stephano altera e Charris profectio nota fuerit, exigat, simpliciter respondendum censeo, ab ipso Spiritu sancto. Enarratio enim rerum historicarum, istarum etiam, quae viris θεοπνεύστοις satis notae fuerunt, plane non ita est consideranda, quasi ex proprio eorum ingenio profecta fuerit, quanquam Grotius in Commentar. ad Act. Ap. Cap. VII, 4. ita existimet, et auctorem suae opinionis Hieronymum alleget: sed in relationibus historicis seu notis seu ignotis aeque vt in dogmaticis rebus ex inspiratione diuina locuti sunt Apostoli, et ex hac innotuisse Stephano alteram Abraami profectionem e Charris, nemo facile repugnabit. Affirmante D.

Apo-

Apoſtolo, 2 Timoth. III, 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, certe non excludit hiſtoricas narrationes. *Non ſolum autem*, dicit Baierus in Proleg. Cap. II. §. 4. n. d. *rerum ſublimium humanae rationis excedentium, ſed et caeterarum omnium, quas ſcriptura continet, tanquam in literas referendarum, conceptus ſcriptoribus ſacris á Deo inſpiratos fuiſſe credimus, cum πᾶσα γραφὴ, tota ſcriptura, non aliqua tantum pars eius diuinitus inſpirata dicatur.* Praecipue vnumquemque effatum Chriſti, Matth. X, 19. 20. impellat neceſſe eſt, ne amplius quaerat, vnde Stephanus aut Lucas, ſed, vnde Spiritus ſanctus alterum Abraami e Charris exitum habuerit; nam Stephanus ad Iudaeos dicturus, hiſtorias non ex memoria recitauit, ſed verba et res et facta omnia a Spiritu ſancto expectauit, ſecundum promiſſionem loc. cit. a Chriſto datam: Μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε· δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Ipſe Calouius in Bibl. illuſtr. ad Act. VII, 2. ait: *Quae viri θεόπνευστοι extra hiſtoriam ſcriptam commemorant, non e traditionibus ſemper cognita fuere; ſuggeſſit quippe iisdem illa Spiritus Dei, cuius impulſu locuti ſunt.* Quae ſententia fundamentum in verbis Chriſti habet dicentis, Io. XIV, 26. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Tandem ſi neque prior, neque poſterior reſpondendi ratio omnibus ſatisfaciat, (cum doctrina de inſpiratione diuina vehementer hodie impugnetur) quamuis in eiusmodi diſputationis genere nonniſi probabilis iure exigatur, aliam viam adhuc ingredi parati ſumus. Obſeruatores Geneuenſes ad Petavii Ratiocin. ſimpliciter ſtatuunt, Stephanum nullam concioni ſuae fidem conciliare potuiſſe, ſi ex hiſtoria populi Iudaici facta referat, nullibi conſcripta, quod neceſſario efficeretur, ſi Stephanus alium quam Moſes referat exitum Abraami e Charris. Quid? ſi dicamus alteram profectionem Iudaeis ex tra-

 ditione

ditione fuiſſe notam? non ſequimur propterea caſtra Pontificiorum, quibus traditiones aeque placent. Longe diſſidemus ab eorum traditionibus in doctrinis fidei et morum, ſed traditionem hiſtoricam ſtatuimus. Illa vero traditio hiſtorica non ſemper eſt oralis, ſed interdum ex libris a viris ſanctis conſcriptis, et iniuria temporis, quo omnia conſumuntur, conſumtis. Ex eiusmodi libris deperditis, vt ſcimus, multos periiſſe, quorum paſſim nomina in ſacris V. T. ſcriptis memorantur, potuit omnibus Iudaeis duplex Abraami profectio, vt res notiſſima, in ore verſari. Ex multis vnius tantum libri mentionem facere liceat, ex quo, ſiue huic ſimili, facta quaedam hiſtoriae Abraamiticae fortaſſe hauſerant Iudaei, ſcilicet *libri Recti*, qui duobus locis ſacrae ſcripturae allegatur, Ioſ. X, 13. et 2 Sam. I, 18. Iudaeorum ſententias de libro Recti ſi inquirere tempus eſſet, primum ſibi locum vindicarent, qui illum noſtram aetatem tuliſſe tradunt *). Deinde alii librum Recti de libro Geneſeos, vt etiam Rabbaniſtae in vetuſto Commentario, qui inſcribitur Breſch. R. fol. 8. col. 4. vbi interrogatur: מאי ספר הישר ספר אברהם יצחק ויעקב : ואמאי קרי ליה ספר הישר ; דכתב תמות נפשי מות ישרים : Num. XXIII, 10. intellexerunt. Sed praetermittamus omnia, quae non corroborant, ſed turbant potius disputationem noſtram. Doctiſſimorum quorundam Virorum de libro Recti ſententia eo redit, vt putent, fuiſſe nomina multorum virorum iuſtorum in eo et facta

*) Varii libri a Iudaeis circumferuntur, quibus titulus *liber Recti* eſt praefixus. Talis eſt ספר הישר liber Recti, quem ſcripſit R. Schabbatai Carmuz Leuita, cuius argumentum eſt morale. Alius ספר הישר ſcriptus eſt a R. Tham: qui eſt liber legalis &c. Hi duo libri ſunt recentiores. Tertius autem eiusdem nominis liber eſt anonymus, qui a Iudaeis quibusdam pro noſtro libro Recti habetur. Explicat ille hiſtorias contentas in Pentateucho, libro Ioſuae et Iudicum, et multa addit ad modum paraphraſium curioſa quidem, ſed plerumque fabuloſa. Vid. Bartoloccius Part. III. B. R. p. m. 935. Vltimus liber Recti in Germanicam translatus eſt linguam a R. Iacobo, excuſus Francofurti ad Moenum, an. Chr. 1674.

facta conſcripta: alii contra ex duobus allegatis libris colligunt, libros Recti fuiſſe epicedia in libris conſignata, ad quae ſcriptores ſacri, tanquam ad documenta rebus geſtis coaeua prouocaſſent. Vid. Diſſertat. D. Abicht de libro Recti habita Lipſiae 1714. Quamcunque eligat quis ſententiam, id ſane efficitur ex deſignatione libri Recti, fuiſſe apud Iudaeos in more poſitum, vt peculiares libri in honorem et memoriam virorum iuſtorum conſcriberentur, ex quibus ſera poſteritas virtutes, facta, fata et his ſimilia potuit cognoſcere. Fuit hic ritus Iſraelitis multisque aliis antiquis gentibus receptus, de quo plurima in profanis aeque ac ſacris ſcriptoribus documenta deprehenduntur. Habes praeter iſta duo loca, vbi de libro Recti extat, alia exempla, quae ritum iſtum docent, 2 Sam. III, 31-34. 2 Paralipp. XXXV, 25. 1 Reg. XIII, 30. Ierem. XXII, 18. et B. Geierus de luctu Hebraeorum cap. 6. §. 19. prolixius affirmauit, Iſraelitas olim ex more recepto demortuorum heroum, regum ac principum laudes carminibus ſcriptis celebraſſe. Ab Iſraelitis, nec aliunde, conſimilem ritum ad gentiles transiiſſe, doctiſſimus Doughtaeus in Annal. Excurſ. 86. p. m. 149. ex Scaligeri caſtigat. ad Feſtum obſeruat. Quae cum ita ſint, facile cognoſcitur, vnde Stephanus vltimam Abraami e Charris profectionem habuerit, et qui venit, vt eam Iudaeis tanquam rem ſatis notam propoſuerit. Etenim vel ex peculiari epicedio in honorem Abraami conſcripto, vel ex libro quodam Rectorum, in quo praeter caeteros iuſtos etiam Abraami facta, itinera, et id genus alia notata fuerunt, didicerunt Iudaei vltimam eius e Charris migrationem, ſiue libros eiusmodi tunc temporis iam periiſſe ſiue ſuperfuiſſe tempore Stephani credatur. Exinde omnis conficitur disputatio, quae ex hac parte mouetur, et Iudaei facile paſſi ſunt, ſibi a Stephano exitum Abraami alium, quam in Moſis ſcriptis narratur, perſuaderi, quum certitudinem eius vel ex maioribus

audi-

audiuerint, vel ex ipſis libris Rectorum tum temporis reſiduis, hauſerint.

At heu! quantopere affligitur noſtra ſententia, ſi denuo contra illam disputant aduerſarii (in quorum numero ſunt Auctores laudati Geneuenſium notarum ad Petauii Ratiocin. P. II. L. II. C. II. Aug. Pfeiferus in Dubiis vex. p. 92.) vt dicant: *Si Abraamus natus eſt anno 70 ergo moriente patre agebat annum 135. Ergo*, aiunt, *iam genuerat Ismaelem et Iſaacum. At D. Stephanus ait*, pergunt, *translatum ipſum in terram Chanaan, eique promiſſionem factam de ea poſſidenda, cum nondum haberet filium.* Profecto haec dubitatio poſſet timidum terrere, vt deſerat campum, et in fugam ſe det: attamen putamus nos habere, quae opponi poſſunt, qualiacunque ea etiam ſint, modo veritate ſe commendent. Stephanus Act. VII, 5. non ait, translatum eſſe Abraamum, antequam haberet filium; neque enim ad illud prius (vt rectiſſime monet Petauius Ratiocin. temp. loc. c.) *et inde poſtquam mortuus eſt pater eius, transtulit illum*, referri, quae deinceps dicuntur, omnia neceſſe eſt, vt ad idem pertineant tempus. Repromiſit, ait Stephanus l. c. v. 5. dare illi eam in poſſeſſionem, et ſemini eius poſt ipſum, quum non haberet filium: non autem translationem et ſecundam in Chananaeam migrationem, quaſi diceret, repromiſit illi iam tum, quum non haberet filium. Porro iſtam promiſſionem iampridem editam eſſe, cum primum e Chaldaea proficisceretur, vt indicat Stephanus, diligenter a ſaepe laudato Petauio obſeruatum legitur. Deinde quisque mediocriter tantum doctus ſcit, vario modo illud *καὶ* (qua coniungitur apud Stephanum v. 5. et 4.) propter Ebraeorum ו, quod vbique iſti adhibent, accipi: ideoque Martinus poſt Bezam optime vertit in hoc loco particulam *καὶ*, *etſi*, *quamuis*: vt ſit ſenſus verborum *καὶ ἐπηγγείλατο αὐτῷ δοῦναι κ. τ. λ.* quamuis promiſerat ipſi

ipſi dare illam (ſcil. terram) ad poſſeſſionem et ſemini eius poſt ſe, cum nondum haberet progeniem. Eiusmodi interpretationem vero ferre vocabulum καὶ, non tantum ad oculum demonſtratum eſt a viris doctis ex hebraeorum more: verum cum Cel. Elsnero aliisque nuper etiam Elias Palairet Eccleſ. Gall. Tornacenſis Paſtor, in Obſſ. Philologico-criticis in ſacros Noui Foed. libros, ad hunc locum exempla dedit ex ſcriptoribus graecis profanis, quorum pauca referre me non poenitet. Sic Hom. Odyſſ. *καὶ ἄνδρασι καὶ πλεόνεσσι μαχήσασθαι*, cum viris *quamuis* pluribus pugnare. Iulianus in Antholog. Gr. L. IV. c. 33. Epigr. 1.

— — — *καὶ τάχα φωνὴν*
Ἔνθεν ἀποκρύπτει, καὶ τὸ δ' ἔχων ὀπάσαι.

— — — Et prope vocem
hinc abſcondidit, *quamuis* illud poſſit exhibere.

Si velis exempla plura ex libris Noui Foederis addere, inuenies iſta multis locis, Io. XVII, 25. VI, 36. XXI, 23. Matth. XXVI, 60. Non potui non ſequi virum hunc doctum, modo laudatum, in explicatione huius loci, cognita probationis eius veritate: quanquam ingenue fateor, eius conſilium in Obſſ. ſcribendis non omnibus probari poſſe, quoniam ſacros Noui Foederis libros eiusque oracula, quae, vt loquitur, *temere ſpiſſis* hebraismorum, ſyriasmorum &c. tenebris ab aliis obſcurarentur, vult omnino bene graece ſcripta eſſe, cuius rei probandae cauſa etiam ſuas obſeruationes ſcripſit. Sed videtur mihi vir doctus in plurimis locis cum Pfochenio, Blackvallo, et aliis dudum refutatus a Viris doctiſſimis: et quicunque praeterea leget Viri ſumme venerabilis Erneſti Proluſionem de Veſtigiis linguae hebraicae in lingua graeca, noſtrique Obſeruatoris exempla, quorum plurima ex Poetis allegauit,

videbit, multum istorum exemplorum demonstrationi detrahi. Remoueat caeterum Lector omnem praeoccupatae sententiae opinionem, tunc certe intelliget, hac responsione rem nostram etiam ab hac dubitatione esse in tuto positam.

Reliqua, quibus exercetur opinio de duplici migratione Abraami e Charris, non sunt eiusmodi, vt quis in animum propterea inducat, denegare conciliationi nostrae assensum. Non tamen praetermittemus dubitatiunculas, verum partim ipsi respondebimus, partim dudum a Petauio responsum esse ostendemus. Vir doctus, cui Petauiana ratio conciliandi non placet, et aliam nouam proposuit multo minus probandam, in supra allegatis verbis ita aduersus duplicem exitum Abraami disputare pergit, in disquisitione exegetica Sect. I. §. 7. *Quia Deo iubente e patris domo sic exire debuerit, vt ob iniquam parentis idololatriam, Deo et Abraamo ipsi odiosam, nec a Thara desertam, eo reuerti nec debuerit, nec voluerit.* Non multis opus est verbis, quibus haecce refellantur. Mandatum, quo solicitatus est Abraamus, vt ex domo patris sui Tharei exiret, patet quidem ex Genesi Cap. XII, 1. et de eo, quod idololatriae Tharei causa id iussus fuerit, etiam non dubitandum, si euoluas Nehemiam Cap. IX, 7. neque a nobis negatur, cum mandato de exitu fuisse coniunctum, ne quondam rediret cum animo ibi manendi, ad patrios lares, et denuo in patria domo habitaret, sedemque fixam ibi haberet. At illud non includitur, ne pedem vnquam per pauxillum quanquam temporis spatium in domum patris Tharei inferat, quacunque etiam causa motus iter illud suscepturus esset. Talem vero reditum nos putamus, qui vel paucas hebdomades vel menses durauit, vel vt funus patris curaret, vel hereditatis partem, quae sibi obuenisset, adiret: eiusmodi vero reditum tam breuem statuimus, qui probabilitate non mediocri commendatur. Nonne pietas filii

filii erga patrem, allato nuncio, (anne is ipse fortasse fuit, qui Nachoris et Milckae generationem ipsi annunciauit, vt Moses tradit Genes. XXII, 20. temporis enim ratio conuenit:) de exitiali morbo siue ipso obitu eius, quam in mandato Deus profecto non negligendam praeceperat, exigere visa fuit, vt ad eum breue tempus rediret? praecipue quum videri posset, quasi ex odio erga patrem eius habitationem reliquisset? Deinde de Abraamo patre τῶν πιϛευόντων ne suspicari quidem Deus poterat, fore, vt reuersus ad Thareum idololatriae cultu se inquinaret, etiamsi sub initio propter eandem e patria domo euocatus esset. Neque demum illud omnino reiici posse nobis videtur, quod Petauius addit, credibile esse, Abraamum ipsius Dei instinctu Charras rediisse, vt circa mortem patris ostenderet, se non iniquo animo hactenus in patrem fuisse, sed ex Dei voluntate ab eo exiisse, quae coniectura eo minus reiicienda, quo plura exempla in sacris occurrunt, e. g. illud Magorum Christi natalem celebrantium, Matth. II, 7. seqq. vbi ad clariorem explicationem peculiaris, sed non allegata diuina significatio videtur statuenda.

In caussis, quibus motus Abraamus lares patrios repetierit, posuimus istam, quia hereditatis partem, quae sibi ex ea obtigerit, forsan adire voluerit. Sed vir doctus supra laudatus negat, illum hoc potuisse mouere ad suscipiendum reditum: rationem, quam adiecit l. c. Sect. I. §. 7. his verbis proponit: *Nam ipse abundauit diuitiis;* et addit: *Ideo regi Sodomitico Berae bona, sibi ab eo exhibita, recusauit, Gen. XIV, 21. 23. Quare ille patris curasse hereditatem non videtur.* Quasi hodie homines ita sint animati, vt ipsi iam opibus aucti, suorum hereditates spernant, et aliorum dona non curent, vt exinde ad Abraami mentem conclusio valeat! Abimelechi contra regis dona Abraamus etsi diues non recusauit, vt Moses narrat Genes. Cap. XX, 14. 15. 16.

Tandem quaerunt alii: *In priore illa profectione, qua Chananaeam primum adiit, solusne an cum omni familia et Lotho eo se contulerit?* His, quae quasi sequenti quaestioni tantum praemittuntur, respondet Moses, Genes. XII, 4. 5. cum omni, quantum in potestate habebat, familia profectum. *Quod si ita est*, pergunt, *cum ex interuallo patrem reuiseret, secumne familiam omnem deduceret, an solus eo pergeret?* Verum, humanissime Lector, haud existimo Te dubitaturum, quin otiosa haec esse cum Petauio censeas, neque digna, quorum ratio habeatur. Qualemcunque tamen responsionem lege apud Petauium in Rationar. Temp. P. II. Lib. II. cap. II. p. m. 67. vbi idem proposuit, et ad vltimam aduersariorum quaestionem respondit, quam adduxisse sat erit. *At*, inquiunt, *si crebro patrem adibat, quomodo ex vicino nepotum suorum ortum non discebat, vt necesse foret ei, per nuncium non vnius, sed duodecim filiorum sobolem simul nunciare?* Hoc propterea obiiciunt, quod Genes. XXII, 10. nunciatum esse dicitur Abraamo, Melcham Nachori fratri numerosam peperisse sobolem. Peccaremus in viri cuiusdam docti leges, qui nuper desiderabat, vt omnia, quae scribantur, noua sint, si responsionem ipsam adderemus, siquidem ista non noua, sed nulla alia foret, quam ipsa Petauii, quam l. c. accurate et diligenter proposuit. Haec sunt, quae ad obiectiones aduersus nostram de duplici Abraami e Charris discessu sententiam prolatas respondenda erant, vt confirmarentur et stabilirentur, quae supra a nobis sunt disputata.



CAPVT

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

Nouam Mosen cum Stephano conciliandi rationem anonymi cuiusdam suis verbis propositam, human. Lector in hoc capite legit, cui hanc praemisit delineationem. „Sectio II. meam explicat mentem: §. 1. de relatione Mosaica Genes. XI, 26. 32. XII, 4. §. 2. Explicatio verborum. §. 3. de relatione Stephani, Actor. VII, 4. (al. 5.) §. 4. 5. 6. Interpretatio verborum. §. 7. Vindicatio sumta 1) ex harmonia verborum Stephani et Mosis. §. 8. 2) ex reticentia termini temporis mortis Tharae. §. 9. 3) ex ellipsi vocis ἐκει, et ἐν Χαῤῥαν. §. 10. 4) ex vsu vocis μετα. §. 11. 5) ex vsu Aorist. 2. in praesenti et imperfecto. §. 12. 6) ex vsu ἀποθανειν, mori. §. 13. 7) e translatione Abraami. §. 14. 8) e sensu itaque verborum Stephani. §. 15. 16. 9) e commoda interpretatione. §. 17. de responsione ad obiectiones.

Sequitur noua sententia, quam supra laudatus auctor in Disquis. exegetica Sect. *II.* §. 1. *seqq. in* Petauii de duplici Abraami ex Charane exitu sententiae locum substituit ipsis auctoris verbis:

„Hac de quaestione satis ardua et meam his, quae adfuerunt, quasque sedulo excussi, sententiis, nunc addam mentem. Vt autem eo faciliori via tutiorique incedam, iuuabit, quam breuissime quidem verba Mosis, de morte Tharae et exitu Abraami, Genes. XI, 22. referentis, reuocare in memoriam, quae haec sunt: Et erant dies Tharae ducentorum quinque annorum, et moriebatur in Haran. Et Cap. XII, 4. Abraam erat septuaginta quinque annorum, cum egrederetur de Charan. Hisce verbis priori loco Moses refert, 1) tempus mortis Tharae, quod erat annorum 205. pariter et locum mor-

 tis

tis eiusdem, qui Haran erat; 2) Abraami exitum ex Haran annos 75. nati, loco posteriori. Quae verba sedulo notamus, consideramus, et cum verbis Stephani conciliamus. Caetera quae legimus Genes. XI, 26. Thara erat septuaginta annorum, et genuit Abraamum, tunc faciliori per se fluent cursu.

Obseruamus, quod Moses mortem Tharae, qua *tempus et locum*, prius quidem, quam exitum Abraami ex Haran, referat, vt exinde coniicere possemus, Abraamum post mortem patris Tharae exiisse. Sed Abraamum post mortem Tharae, siue hocce Tharae aetatis anno 205. emigrasse, ex hac positione et relatione Mosaica non sequitur, vt quidam, R. Iarchi, l. c. et alii volunt. Siquidem Moses historiam Tharae simul cum eiusdem morte quidem absoluit atque concludit; Thara autem tum temporis, quo Abraam exiit, reuera non erat mortuus, sed adhuc dum viuus; imo in Haran post filii exitum, ad mortem vsque suam, sexaginta (60) annos vixit. Hunc enim morem scriptura sacra seruat frequentissime, vt historiam personae simul cum eiusdem morte absoluat, atque concludat, quae tamen multos post annos demum est insecuta. Id quod satis probatur exemplis patrum, 1) Adami, Genes. V, 5. qui ibidem dicitur mortuus, cum fuerit annorum 930. cum tamen multos annos post Sethum et alios vsque ad tempora Lamechi ille vixerit. 2) Noae, Genes. IX, 29. qui pari modo ibidem dicitur defunctus, cum fuerit annorum 950. cum tamen multos annos post Semum et alios vsque ad tempora Abraami, ad ductum chronologiae supra adductae ille vixerit. 3) Ipsius Abraami, Genes. XXV, 8. quippe qui et ibidem obiisse dicitur, natus annos 175. versu 7. cum tamen vixerit vsque ad tempora Iacobi, filii Isaaci, quippe qui, cum Abraam obiret, annos 15. natus erat.

erat. Anno enim aetatis 100. genuit Abraam Isaacum, et Isaacus anno aetatis 60. Iacobum, Genes. XXV, 26. Quia igitur Abraam fuit 175. annorum, cum obiret; ergo vixit ad annum aetatis Iacobi vsque decimum quintum (15.) Nam 100. et 60. et 15. anni faciunt 175. annos. Sic et Thara dicitur mortuus, cum fuerit annorum 205. cum tamen post exitum Abraami vixerit adhuc annos 60. Genes. XI, 32. Quare nec hic, nec alibi locorum, statuendum est ὕστερον πρότερον. Historia personarum, adiecta simul morte, complete absoluitur, quanquam mors multos post annos est insecuta. E qua igitur narrationis Mosaicae, sic ordinatae, circumstantia de morte Tharae, exitui Abraami praeposita, nullo modo inferri potest, quod Abraami egressus post Tharae mortem sit factus. Vixit enim Thara adhuc post Abraami emigrationem ex Haran, annum aetatis agens 145. Nam 70. quo vitae anno ille genuit Abraamum, et 75. quo Abraam emigrauit ex Haran, recte conficiunt 145. annos. Et quia diem obiit supremum, cum natus esset annos 205. sequitur, vt in Haran degerit aetatem annos 60. vsque ad mortem. Nam 145. et 60. conficiunt 205. Sic habes in narratione Mosaica annum natiuitatis Abraami, annum eiusdem discessus ex Haran, annum aetatis Tharae tempore exitus, annum eiusdem mortis.

Huic relationi Mosaicae, quae nullo modo turbari et subuerti debet ac potest, verba Stephani, eadem ratione de morte Tharae et exitu Abraami Actor. VII, 4. (aliis 5.) dissentientis, subiiciam, quae haec sunt: Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. Κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε; Tunc exiens e terra Chaldaeorum (nempe Vr) habitauit in Charran. Et exinde, scilicet Charran, postquam moriebatur pater eius, scil. ibi in Charran, transtulit eum in

hanc

hanc terram, in qua vos nunc habitatis. Ad verſionem Lutheri: Da gieng er aus der Chaldäer Lande, und wohnete zu Haran. Und von dannen, (nehmlich Haran) da ſein Vater geſtorben war, (NB. ad textum: nachdem ſein Vater ſtarb, nehmlich daſelbſt in Haran) brachte er ihn herüber in das Land, da ihr nun innen wohnet. Haec mea textus verborumque Stephani interpretatio in primo ſtatim limine tibi facem accendit praeferetque ad intelligentiam rei. Sic enim interpretor textum graecum: Et exinde ſcil. de Haran, poſtquam ibi in Haran videlicet pater eius moriebatur, transtulit eum etc. Und von dannen von Haran, nachdem daſelbſt in Haran ſein Vater ſtarb, brachte ihn Gott ꝛc.

Quo obſeruamus, Stephanum hic non facere mentionem *termini temporis* mortis, quo Thara obiit, ſed abſolute, haud connotato aetatis Tharae anno, 205. dicere, *poſtquam moriebatur pater eius.* Duo ſunt, quae Stephanus his verbis monet: 1) mortem Tharae in Haran, *ratione termini loci, non temporis* mortis; 2) egreſſum Abraami ex Haran, *relicto ibi in Haran patre* ad ipſius mortem vſque. Haec verba, *poſtquam moriebatur*, *μετὰ τὸ ἀποθανεῖν* etc. quaſi in parentheſi, quod ratio temporis ob anguſtiam, qua preſſus, tum requirebat, Stephanus fuit locutus ex ſummae quidem breuitatis ſtudio. Rem quoque tractat Iudaeis ſatis notam, reliquis ita omiſſis. Vnde factum, vt eorum intellectus ac ſenſus non ſtatim menti noſtrae occurrat. Cum igitur a Stephano non fiat mentio termini mortis, *qua tempus*, ſed *qua locum*, recte infertur, inde adſtrui haud poſſe, Abraamum, ex verbis Stephani, poſt patris mortem fuiſſe egreſſum. Et iterum, quia Stephanus refert, patrem *ibi* mortuum eſſe, *vnde* Abraam translatus eſt, ergo, verbis Stephani, recte dicitur, Tharam *ibi in Haran vſque ad mortem eſſe relictum*, emigrante filio.

Vt

Vt vero ſenſus completus eo clarius adpareat, ſupple *circumſtantiam loci*, ſiue particulam ἐκεῖ, *ibi*, e proxime praecedente particula κἀκεῖθεν, *exinde*, vel, ſi malis, ἐν Χαῤῥάν, vel vtrumque, ἐκεῖ ἐν Χαῤῥάν. Sic ἐν Χαῤῥὰν neceſſario ex praecedenti repetitur, ad ſenſum completum reddendum. Quare verba ſic fluent: κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν· κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, ſcil. ἐκεῖ ἐν Χαῤῥάν, τὸν πατέρα αὐτοῦ, habitauit in Charran. Et exinde, poſtquam moriebatur, ſcil. ibi in Haran, pater eius. **Und von dannen, nachdem sein Vater daselbst in Haran starb:** i. e. remanebat relictus *ibi in Haran* vsque ad mortem, et neque regrediebatur in Vr Chaldaeorum, neque progrediebatur cum filio exinde in terram Chanaan. Sic mori in Haran hic idem eſt, quod remanere et habitare in Haran ad mortem vsque. Vt vulgo dicitur: **Ich will hier sterben**, i. e. **bleiben, bis ich sterbe, und mich nicht weiter wohin begeben.** Abraamum vero Deus exinde e Charran transtulit in terram Chanaan, relicto patre, relicta familia patriaque. Haec duo igitur hac Stephanus probat relatione, vt iam ante monui, *primum*, Tharae mortem in Haran, ſiue circumſtantiam *loci* mortis Tharae, qui Haran eſt, ſiue remanſionem eius in Haran vsque ad mortem; *deinde* exitum ſiue translationem Abraami e Charran in terram Chanaan, relicto patre ibi in Haran.

Ergo non probatur e verbis Stephani exitus Abraami poſt mortem patris, ſiue terminus temporis exitus eius, qui mors Tharae ex mente aliorum eſt, quamuis falſo. Haud enim in textu extat, μετὰ τὸν θάνατον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, poſt obitum patris eius, ſed μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, poſtquam moriebatur ſiue moritur pater eius ſcil. in Haran, nec cum filio ſuo Abraamo transfertur, quia remanet et habitat in Haran vsque ad mortem. Omnino datur differentia quaedam inter *mortem* et *mori*, vt inter *actum completum ſeu abſolutum*, et *in-*

completum seu absoluendum. Nondum erat mors Tharae tum completa seu absoluta, cum Abraam exiret; siquidem Thara adhuc dum vixit in Haran vsque ad mortem. Praeterea, ad pleniorem verborum Stephani intellectum mentisque meae, coniungam coniungenda, et separabo separanda, ita: *Et exinde de Haran Deus transtulit eum, Abraamum, in hanc terram, in qua vos nunc habitatis, postquam pater eius moriebatur ibi in Haran, siue remanebat et habitabat ibi in Charran vsque ad mortem, et non simul cum Abraamo filio suo est translatus in terram Chanaan.* Ergo Stephanus non dicit, nec dicere voluit, Abraamum post obitum patris Tharae exiisse ex Charran; sed Tharam patrem mortuum esse in Haran, siue remansisse ibidem vsque ad mortem, nec translatum esse. Id quod erat demonstrandum.

Hanc meam sententiam vindico, primo, ex harmonia verborum Stephani cum verbis Mosis, dicentis: moriebatur in Haran, Genes. XI, 32. Sic Stephani scopus et sensus verborum idem est: postquam moriebatur, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, supple verba Mosis, scil. in Charran. Hic Moses et Stephanus in describendo mortis Tharae loco conueniunt. Reuera enim ibidem in Charran postmodum Thara mortuus est, id quod nemo non adfirmat. Habes itaque conciliationem verborum Stephani et Mosis. Nam idem vult Stephanus, quod Moses. Hoc vnicum vocabulum ἐν Χαῤῥὰν, siue ἐκεῖ, ex proxime praecedentibus, vt et ex verbis Mosis, necessario supplendum, totam rem conficit. Stephanum cum Mose id conciliat. Moses enim et Stephanus eandem referunt historiam, eandem profectionem. Hinc et consentiunt in describendo *termino loci* mortis Tharae, qui fuit Haran.

Deinde ex reticentia *termini temporis* mortis, quem Moses retulit, dicens: Et erant dies Tharae ducentorum quinque annorum (205.) et moriebatur in Haran. Stephanus vero hunc

hunc terminum mortis plane omisit, tantummodo dicens, *postquam moriebatur* pater eius, ἐκεῖθεν *exinde* Abraam translatus est. Ergo Stephanus non *de tempore*, sed *loco* mortis loqui voluit, nachdem sein Vater starb, von dannen Abraham herüber bracht war. Vides suppletionem ἐκεῖ? Ergo dici nequit, post mortem patris Abraamum translatum. Quia Stephanus termini temporis mortis Tharae ne verbo quidem fecit mentionem; mors etiam demum post Abraami discessum multos post annos, nimirum (60) est insecuta.

Vt et ex frequentissima in literis sacris ellipseos vsurpatione. Vbi enim requiritur suppletio, ibi sit ellipsis, necesse est. Etsi alibi locorum scripturae sacrae ea datur, vt vides in Glassii Philol. S. Lib. IV. Tr. II. Obs. I-XIII. et L. I. Tr. III. S. VI. 4. p. m. 212. vbi dicit: Saepissime enim breuitatis studio et non sine elegantia occurrunt in sacro sermone ellipses; et in Pfeifferi Thesauro herm. p. 409. ad complementum sensus aliquando vox quaedam ἀπὸ κοινοῦ ex praecedentibus est repetenda: quidni et hic Actor. VII, 4.? Ellipsis omnino adest, necessario supplenda ad complementum *sensus* ex praecedentibus, imo et e verbis Mosis l. c. nisi, hoc supplemento neglecto, in varias te deiicere velis difficultates. Ellipsis est correlatum ἐκεῖ, quod respondet proxime praecedenti τῷ ἐκεῖθεν, estque ellipsis implicita. Est enim in particula κἀκεῖθεν. Haec enim verba coniunctissime inter se cohaerent: κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, et exinde postquam moriebatur pater eius; sic, vt κἀκεῖθεν non modo ad translationem Abraami, sed etiam mortem Tharae, qua *locum*, se referat. *Exinde* Abraam translatus est, ibidem etiam Thara est mortuus, nempe in Haran, ἐν Χαῤῥάν, quod etiam ex praecedentibus supplendum, vt sensus fiat completus ἐκεῖ ἐν Χαῤῥάν, *ibi in Haran.* Mihi hac in re suffragatur versio Syriaca, quippe quae, *ex-*

inde, κἀκεῖθεν, non per signum distinctionis a μετὰ ἀποθανεῖν, *postquam moriebatur*, separat, sed vtrumque coniungit, quae latine sonat: *Et exinde postquam mortuus est*, *siue moriebatur*, pater eius: post hoc signum distinctionis vero ponit, *transtulit eum Deus*. Sic etiam deprehendo in quibusdam codicibus graecis, omissa distinctione inter κἀκεῖθεν et μετὰ etc. Ergo se refert κἀκεῖθεν ad vtrumque, nimirum mortem Tharae et exitum Abraami, vt sit, *et exinde postquam moriebatur Thara*, *transtulit eum*. Ergo supple ἐκεῖ ἐν Χαῤῥὰν, *ibi in Haran*, ad pleniorem verborum Stephani intellectum. Ἐκεῖθεν, *exinde*, est particula notans locum de quo; correlatum eius est particula ἐκεῖ, denotans locum in quo, *ibi*. *Ibi* itaque Thara mortuus est, *exinde* Abraam translatus. Ni ellipsin concedere velis hoc in loco, eamque supplendam per ἐκεῖ, vel ἐν Χαῤῥὰν, vel per vtrumque et proxime praecedentibus in hoc versu, ἐκεῖ ἐν Χαῤῥὰν, *ibi in Haran*, semper profecto tibi aderit repugnantia verborum Stephani Mosisque. Explicationes multo sudore atque labore extortae rem non conficient. Qua vero concessa, vt necessario concedi debet, omnis certe difficultas, omnis repugnantia, omnis labyrinthus, prorsus euanescent, cessabuntque. Probat itaque Stephanus *vbi*, non *quando*, Thara mortuus est.

Porro hanc meam vindico sententiam ex vsu atque significatu particulae μετὰ. Ea enim, cum infinitiuo posita, obtinet significatum *postquam*, nachdem, et resoluitur in verbum finitum. Vsus eiusdem est, vt connotet tempus siue praesens, siue imperfectum, siue perfectum. Vide Glassii Philol. sacram L. III. Tr. VI. de praepositionibus, p. m. 794. Stockii Clav. Linguae S. N. T. sub voce μετὰ. Interpretor itaque hic μετὰ, *postquam*, *cum imperfecto*, *tempore incompleto*. Quandoque enim de completo iam tum tempore oratio sonat, quae tamen

de incompleto intelligi debet. Glaſſ. l. c. p. m. 771. Sic μετὰ τὸ ἀποθανεῖν reddo in imperfecto, ceu tempore incompleto, *poſtquam moriebatur*; non in plusquamperfecto, *poſtquam mortuus erat*. **Nachdem sein Vater starb, nehmlich in Haran,** ἐκεῖ ἐν Χαῤῥὰν, ibi in Haran; non vero, **da sein Vater gestorben war.** Quae verſio equidem hanc difficultatem peperit. Erat enim mors adhuc incompleta et non abſoluta, vt ſupra demonſtraui. Plusquamperfectum autem facit eam completam, cum tamen Thara adhuc vixerit, cum Abraam egrederetur. Senſus itaque eſt, poſtquam ibidem in Haran pater eius morabatur, remânebat vsque ad mortem.

Praeterea ex vſu temporis Aoriſti 2. Ἀποθανεῖν eſt quidem Aor. 2. in infinitiuo. Aoriſti autem ordinarie tempus praeteritum denotant; attamen etiam ii in ſacris praeſens indicant atque imperfectum. Conf. plur. Glaſſ. Philol. S. Lib. III. Tr. III. Can. XLVII. p. 645. „Verbum Aoriſti temporis apud Graecos etiam pro praeſenti vſurpatur, addo, etiam pro imperfecto.“ Id quod vides Actor. VII, 2. (aliis 3.) πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥὰν, priusquam commoraretur in Haran, **ehe er wohnete in Haran.** Redditur Aoriſt. 1. in imperfecto, actu incompleto. Sic Aor. 2. pro praeſenti vſurpatur, Rom. V, 7. τολμᾷ ἀποθανεῖν, audet mori, **möchte jemand sterben.** Act. XXV, 11. ὀ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν, non recuſo mori, **ich wegere mich nicht zu sterben.** Sic etiam hic loci ἀποθανεῖν, *mori*, in tempore praeſenti, ſeu potius imperfecto, ceu in actu incompleto, vſurpatur, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, *poſtquam moritur*, *ſeu moriebatur* pater eius, ſed vbi? reſpondetur recte, ibi in Charan.

Mori hic figurate vſurpari, pro remanere ſeu conſtanter manere et habitare in loco quodam vsque ad mortem, non negatur.

gatur. Satis enim tritum est illud effatum, cum dicitur: **Ich will hier sterben, i. e. ich will beständig hier bleiben und wohnen bis an meinen Tod. Er starb daselbst, i. e. er wohnete daselbst bis an seinen Tod beständig unveränderlich.** Et sic Thara, dicit Stephanus, postquam pater eius moriebatur *ἐκεῖ, ibi; ἐκεῖθεν, exinde* Abraam emigrauit seu translatus est, i. e. *postquam pater eius remanebat, manebat habitabatque constanter ibi, in Haran, vsque ad mortem, vsque moriebatur.* Denotatur hinc Tharae constantissima habitatio in Haran, vsque ad mortem, post translationem Abraami de Haran.

Tandem hanc meam sententiam vindicabit translatio Abraami e Charran, habitationi Tharae constantissimae ad mortem vsque ibi in Haran, opposita. *Μετῴκισεν αὐτὸν*, transtulit eum Deus, migrare eum iussit. Id quod qua profectionem et collocationem intelligi debet. Haec enim translatio facta est, 1) qua profectionem. Nam exiit Abraam ex Haran, patre relicto, eoque viuo. 2) Qua collocationem, *εἰς τὴν γῆν ταύτην*, in hanc terram Chanaan, quam Hebraei postea incoluerunt. Et quamuis Abraam hinc illinc in terra Chanaan migrauerit, vsque dum certum in locum, Bersebam et Hebronem, se contulit: attamen haec migratio, licet et illinc iterata, non impedit collocationem. Haec autem translatio opponitur remansioni et habitationi Tharae in Haran constantissimae. *Illum* enim, Abraamum, non *hunc*, Tharam, transtulit Deus. *Hic* remansit et habitauit in Haran ad mortem vsque constantissimè. Haud enim voluit Thara, nec debuit, iussu diuino, egredi: Abraam vero Dei iussu exiit ex Haran, e domo patris, tum adhuc viui. Ergo e verbis Stephani non terminus *temporis* mortis Tharae, ideoque nec terminus *temporis* exitus Abraami, sed terminus tantummodo *loci* mortis Tharae, relicti in Haran, probatur. Quare a morte Tharae

ad

ad exitum Abraami e verbis Stephani argumentari non possumus, quasi *post mortem patris esset factus.*

Nil itaque aliud ex hoc loco Actor. VII, 4. siue e verbis Stephani, probatur, quam 1) Abraamum, iussu Dei, ex Haran emigrasse, Deumque eum exinde in terram Chanaan transtulisse; 2) Tharam vero relictum in Haran, ibidem fuisse mortuum. Mors autem neque ante, neque tunc, cum exiit, sed post egressum Abraami, annis 60. praeterlapsis, anno aetatis ipsius 205. est insecuta. Viuo igitur parente, et agente annum aetatis 145. non mortuo, Abraam ex Haran emigrauit.

Hac ratione effata sacra manent integra atque salua. Thara genuit Abraamum anno aetatis 70. Abraam emigrauit anno aetatis 75. Thara tum temporis fuit annorum 145. Et deinde fuit, et vixit in Haran, 60. annos. Tunc, his praeterlapsis, moritur, 205. annos natus, in Haran. Abraam erat 135. annorum, cum pater obiret. Stephanus etiam hac sua relatione Mosi non contradicit. Haud enim describit tempus mortis Tharae, neque tempus exitus Abraami; sed *locum* mortis Tharae in Haran, qui ibi relictus habitauit vsque ad mortem, neque regressus, neque progressus. Cessat itaque loci difficultas.

Haec sententia, haec explicatio verborum Stephani, quae omnibus interpretibus fuerunt lapis offensionis, mihi omnino videtur commodissima, et textui siue verbis Stephani conuenientissima. Non enim refragatur narrationi Mosaicae totique historiae, potius ei maxime conuenit. Non enim offensionis lapis in verborum Stephani explicatione, eorumque collatione cum Mosis relatione amplius obiicitur, sed prorsus abiicitur. Non deinceps difficultas adest. Non incommoda multa, ad mentem Pfeifferi l. c. nos amplius premunt. Remoto enim termino temporis mortis Tharae, remouetur quae-

quaestio et difficultas de exitu Abraami post mortem patris. Nam Stephanus non dicit, Abraamum tum temporis esse translatum, cum pater eius est mortuus; sed tantummodo Tharam in Haran obiisse, ibidem habitasse vsque ad mortem', nec vna cum Abraamo ex Haran translatum. Stare itaque, quod Buddeus pro certissimo assumsit, nequit, qui ait, *hoc Thara iam mortuo contigisse*, dubitari prorsus nequit, in Histor. Eccles. Vet. Test. p. 260. E contrario adfirmo, hoc, Thara adhuc viuo, contigisse dubitari nequit.

Coronidis loco, pergit auctor, ad obiectiones, quas quis contra hanc meam explicationem mouerit, breuissime respondebo. Obiecerit quis:

1) Extat in codice sacro: **da sein Vater gestorben war.** Ergo post mortem patris filius exiit. Resp. Sic vertit Lutherus, sed non admodum bene. In textu graeco sonant verba: **nachdem sein Vater starb**, elliptice; sed vbi? Resp. **daselbst, nehmlich in Haran.** Sic verti debuisset: **nachdem sein Vater daselbst starb.** Ergo obiectio euanescit.


2) **Daselbst**, non extat in textu. Ergo infers textui non innatum. Resp. Est omnino in textu, in proxime praecedenti particula κἀκεῖθεν, *exinde*, quae sese ad vtrumque refert, nempe ad exitum Abraami aeque atque ad mortem Tharae, vt supra demonstraui. Sensus est: **nachdem sein Vater daselbst, von dannen Abraham herüber bracht war, starb, nehmlich in Haran**, quod etiam proxime praecedit. Ergo conclusio non conceditur.

3) Quamuis locus mortis Tharae ponatur, tamen remanet, quod post mortem patris, quam ibi in Haran obiit, emigrauerit.

grauerit. Resp. minime. Nam sic inseris textui non inserenda, nempe exitum post mortem, et amplius, quam debes, verba Stephani extendis, quippe qui tantummodo dicere voluit, quod Thara mortuus sit in Haran. Nil amplius.

4) Cur non retines perfectum, mortuus est? Resp. retineas. Modo ne de actu tum, cum Abraam exiit, completo id intelligas, nec ad tempus mortis, tum insecutae, extendas: sed *locum* mortis Tharae retineas, quod *ibidem* in Haran sit mortuus, nempe post exitum Abraami longo post tempore".

Totam auctoris nouae sententiae mentem suis verbis hactenus legit Lector beneuolus, vt ipse, quid sperandum aut metuendum sit auctori, iubeat, et, an eiusmodi sit ponderis, vt a nostra de duplici migratione discedamus, iudicet. Ego quidem quid hac de re sentiam et cur reiiciendam nouam putem sententiam, statim adiiciam.



CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

Argumenta auctoris nouae sententiae, de profectione Abraami e Charris non mortuo, sed viuo patre Thareo, ex enarratione Mosis, interpretatione verborum Stephani et scopo orationis Stephanianae petita, vt parum tuta, improbantur. Ostenditur, consilium Stephani in describendis profectionibus Abraamiticis e Charris non fuisse, vt designaret terminum temporis mortis Tharei, sed terminum loci, quod putat anonymus, ex verbis Stephani non posse probari. Particula κακειθεν rem non conficit. Verborum Stephani explicatio, vbi mori, significare debet, manere in quodam loco, ibique viuere vsque ad mortem, refutatur, (vt minus conueniens 1) vsui graece loquendi, et 2) stili historici simplicitati. Allegata ab auctore ad vim vocis ἀποθανειν probandam nullo nituntur fundamento, et sunt leuia. Distinctio inter μετα τον θανατον, et μετα το ἀποθανειν τον πατερα αὐτȣ, ad sustinendam vim vocis ἀποθανειν excogitata, nil valet ad significationem plane inusitatam fulciendam. Vox μετα auffert distinctionem inter statum et actum mortis, quamuis ad vim aoristi prouocatur. Summa erroris versatur in neglecta particula μετα, quam auctor nouus vbique cum **indem** permutat. Tam in latina, quam in graeca lingua hoc inusitatum. Exempla citantur. Versiones allegantur, quae omnes explicant verba μετα το ἀποθανειν consueto modo. Testimonia proferuntur. Quibus praemissis sponte corruunt, quae de ordine in narratione Mosis disputauit conciliator noster: non enim Mosis narratio, sed verba Stephani difficultatem habent.

Nouae sententiae auctor primum in eo versatur, vt in priori suae disquisitionis exegeticae sectione, allatis iis, quae alii de loci nostri difficultate senserint, respondeat; deinde autem in altera sectione, quid sibi videatur, proponit, imo tanta certitudine asserit, vt vix alicui in mentem veniat, ipsi obloqui,

si ad

ſi ad verba reſpicias. Sententia vero eius, qua componi poſſe loca citata Moſis Geneſ. XI, 31. 32. XII, 1-4. et Stephani Act. VII, 1-4. aſſerit, huc redit, vt affirmet, *Abraamum non mortuo patre Thareo, ſed viuente adhuc iſto exiiſſe e Charris*, cuius rei probandae cauſa eadem ipſa affert, de quibus disputatur. Prouocat ad Moſis narrationem: ſed quum eiusdem ordo ipſi aduerſetur, loco probationis, quam expectabas, primum remouet §. 2. non ſequi, Abraamum poſt Tharei mortem exiiſſe e Charris, quanquam Moſes ante diſceſſum Abraami referat Tharei mortem, et totam ipſius hiſtoriam abſoluat. Secundo probat ex interpretatione ſua verborum Stephani, longe aliter ac vulgo fieri ſolet inſtituta, quae tamen illud ipſum erat, quod probari debebat, ideo ſemper in orbem eius redit disputatio. Tandem probat ex ſcopo, vt ait, (quod vltimum interdum vitio creatorum interpretum eſt,) ſeu conſilio Stephani, nempe eum *non de termino temporis mortis Tharei, ſed de termino loci* loqui voluiſſe. Sed et id tam obſcure, vt vix, quorſum iſta pertineant, aſſequare. Et illud ipſum fuit, quod nouam nobis opinionem primum ſuſpectam reddidit. Olim iam edocti, tum a doctoribus academicis, tum ex aliorum eruditorum ſcriptis, qui in legitima interpretatione et conciliatione ſcriptorum tam profanorum quam ſacrorum aliquid viderunt, eas plerumque veras eſſe explicationes, quae faciles ſint intellectu, ſeque ſua ita inſinuent facilitate lectorum animis, vt paene extorqueant aſſenſum: quo charactere ad nouam iſtam expoſitionem explicato, nil minus quam vim eius inuenimus. Noſter enim intellectus, non adſuetus ad res ſub verbis cogitandas, quae in iis non continentur, et quae longe aliud quid, quam debent, exprimunt, etiam praeſentem non capere poterat explicationem, nec alios facilius concocturos eſſe eam exiſtimamus. Accedit, quod omnis ea ſcriptio certo ordine plane deſtituta eſt.

Non inutile fore arbitramur, si, quomodo ipsam nouae sententiae refutationem instituere animus sit, ante omnia doceamus. Sequemur nimirum *κατα ποδα* doctum conciliatorem, ita tamen, vt a §. 3. Sect. II. vbi noua explicatio enarratur, incipiamus, et deinde de duobus antecedentibus §§. videamus, in quibus ad id respondetur a Viro docto, quod narratio Mosaica, vbi mors Tharei antea, quam Abraami discessus narratur, contrariari videatur. Ratio, qua ducti hunc disputandi ordinem eligere placuit, est ea, quia, refutata explicatione verborum Stephani, non necesse erit, multa ad priora dicere.

Placuit Viro docto antea, quam accuratius Stephani mentem enarraret, Actor. VII, 4. verbis graecis statim subiicere latinam et germanicam interpretationem, *quam*, ait, *in primo statim limine facem accensuram Lectori*, vt sciat, quorsum mens eius directa, et quae vera vocum illarum sit explicatio. Pace eius audiamus collato graeco textu versionem, cui deinde quantulumcunque nostrum subiungamus iudicium. Verba Stephani Protomartyris haec sunt: τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν· Κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. *Tunc exiens*, ait interpres noster §. 3. Sect. II. *e terra Chaldaeorum (nempe Vr), habitauit in Charran, postquam moriebatur* (quasi hoc aliud sit, quam postquam mortuus erat) *pater eius (scil. ibi in Charran), transtulit eum in hanc terram, in qua vos nunc habitatis.* Nondum intelligis? germanicam etiam addit versionem: **Da gieng er aus der Chaldäer Land ꝛc. und von dannen, da sein Vater gestorben war** (NB. ad textum, vt ait, **nachdem sein Vater starb ꝛc.**) Quis est, qui non miretur verba huic versioni adiecta: *Haec mea textus verborumque Stephani interpretatio in primo statim limine tibi facem accendet, praeferetque ad intelligentiam rei:* et ad cuiusnam rei intelligentiam? nimirum

vt

vt doceant, Abraamum non mortuo patre Thareo, ſed viuente adhuc ipſo e Charris exiiſſe. Nemo, ni fallor, non ita ſentiet, (ſi forte ex inſcriptione Commentationis coniici quodammodo potuit mens auctoris, quanquam ea ſola perlecta neſciebamus, quomodo ſe defenſurus ſit,) hac verſione eandem iterum eſſe obſcuratam, additis praeſertim verbis, quibus tanquam accuratiſſima laudatur, quae ſuam mentem in inſcriptione propoſitam confirmet, quum e diametro repugnet. Accuratius nouae verſionis examen confirmabit, ſpero, non modo, quae reprehendimus, verum ante oculos vnicuique etiam ponet, quam parum tribuerit interpres noſter ſtudio, quod a bono interprete Huetius de interpretatione lib. I. de optimo genere interpretandi, p. m. 105. requirit, dicens: *Interpres linguae, quam ſuſcipit interpretandam, ſingulas ſingulorum verborum proprietates enucleate conſectari debet, et ad viuum reſecare:* et paullo poſt, l. cit. p. 106. *poſtquam locum ſui auctoris attenta cogitatione ſepſerit, verba idonea ſeligat ἰσοδύναμα, ἰσόῤῥοπα, vel iis quam proxima; ea deinceps in quadrum et ordinem pro linguae facultate ſimilem compingat.*

Auctoris mens, vt ex tota diſputatione colligi licet, haec eſt, vt verba μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ̃ ſignificent: *patre eius Thareo ibi, in Charran, commorante vsque ad mortem ſuam.* Sed neque hanc mentem ſuam ſatis clare exponere potuit, nam tantum diuinandam reliquit, multo minus demonſtrare, quomodo ea verba id ſignificare poſſent. Quod et plane factu impoſſibile eſt, neque vlli vnquam homini in animum veniet ita loqui, neque graece, neque latine, neque germanice. Profecto ſi Stephanus id voluiſſet dicere, quod Vir doctus vult, verba eius haec fuiſſent: τȣ̃ πατέρος αὐτȣ̃ μένοντος ἐκεῖ μέχρι τȣ̃ ἀποθανεῖν, vel ἕως τȣ̃ θανάτȣ; vt de Ioſepho Matthaeus II, 15. καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδȣ; vel

vt LXX. in Ieremia LII, 11. ἕως ἡμέρας, ἧς ἀπέθανε; vel 1 Reg. XI, 40. καὶ ἦν ἐν Αἰγύπτῳ ἕως ꙋ ἀπέθανε Σαλομῶν; et deinde 2 Sam. VI, 23. καὶ τꙋ Μελχὸλ θυγατρὶ Σαꙋλ ꙋκ ἐγένετο παιδίον ἕως τῆς ἡμέρας τꙋ ἀποθανεῖν αὐτήν. Sed in verbis, vt nunc ſunt, quomodo ἀποθανεῖν poteſt eſſe, viuere (et quidem annos ſexaginta) donec moreretur? et, ſi vel hoc fieri poſſet, quomodo μετὰ, poſt, nachdem, quod ex ratione loquendi omnium linguarum neceſſario inuoluit actum, qui praeceſſit, poteſt intelligi de actu, qui demum futurus eſt? Sed videbimus mox ſingula.

Vt vero premamus veſtigia auctoris nouae ſententiae, deprehendimus illum primum in eo occupatum, vt ex conſilio Stephani, quo dixerit ea de exitu Abraami, petat ſuae expoſitioni fulcimentum. Probe ex capite de compoſitione ἐναντιοφανων edocti ſcimus, locorum hiſtoricorum de eadem re agentium ἐναντιοφανες oriri aut e diuerſo narrandi conſilio et modo ſcriptoris cuiusdam, aut e loquendi modo craſſiori, vt cauſa ἐναντιοφανειας tollatur ſcilicet explicando vſum loquendi. Manifeſtabunt ideo, quae ſuper hac re a viro laudato disputata ſunt, felicibus num auſpiciis rem ſusceperit nec ne. Eo tendit conciliator noſter §. 4. Sect. II. vt oſtendat, Stephani conſilium non fuiſſe, *vt deſignaret terminum temporis mortis Tharei, verum vt tantum mortem Tharei in Charran ratione termini loci*, vt loquitur, *et egreſſum Abraami ex Charran, relicto ibi in Charran patre ad ipſius vsque mortem deſcriberet.* Probationem deſiderabis huius aſſerti, hum. Lector? cognoſces illam a viro docto ſuppeditatam in §. 4. Sect. II. vbi ſequenti modo colligit: *Stephanus monet*, inquit, *his verbis* 1) *mortem Tharei in Haran ratione termini loci, non ratione temporis mortis:* (videsne hic demonſtrationem in orbem?) 2) *egreſſum Abraami ex Haran relicto ibi in Haran patre ad ipſius mortem vsque*: (at id erat, quod

quod quaerebatur.) Deinde addit: *verba reliqua vero, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, sunt in parenthesi propter temporis angustiam, qua pressus, locutus est Stephanus; et quia tractauit rem Iudaeis satis notam.* Tandem efficit ex his non timide hanc conclusionem, eodem §. 4. Sect. II. *Cum itaque a Stephano non fiat mentio termini mortis, qua tempus, sed qua locum, recte infertur, inde adstrui haud posse, Abraamum post patris mortem fuisse egressum.* Eiusdem conclusionis modum in §§. 7. et 8. Sect. II. exhibet, ideo coniunctim ad ea respondebitur.

Nollem viro docto hanc probationem excidisse, etenim, quin petitionis principii ista accusetur, et nihil eadem effici recte concludatur, vix effugere poterit doctum interpretem. Gratis enim sumitur, Stephanum non mentionem facere termini mortis, qua tempus, sed qua locum: gratis exinde concluditur, non adstrui posse ex verbis illius, Abraamum post patris Tharei obitum e Charris fuisse egressum. Debebat sane vir doctus demonstrare antea, in verbis Protomartyris, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, non fieri mentionem termini mortis, qua tempus, deinde poterat concludere. Enimuero, inquiet, nonne satis probaui terminum loci mortis Tharei, cum ἐκεῖ intelligendum esse in verbis μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ dixi? Haud optima vero probatio, quae ex aliqua particula, quae tantum ἔξωθεν intelligi debet, ducitur. Sed audiamus, quomodo interpres eam supplendam esse iudicet. Videlicet §. 9. Sect. II. ait: *Ellipsis est correlatum ἐκεῖ, quod respondet proxime praecedenti τῷ ἐκεῖθεν, estque ellipsis implicita. Est enim in particula κἀκεῖθεν etc.* Non facile aliquis assequetur, quid haec sibi omnia velint: nempe ex κἀκεῖθεν supplendum esse ἐκεῖ putat, quasi ex *ibidem* in latina lingua, in simili positu, intelligere velis *idem*, quod falsissimum est. Ἐκεῖθεν et ἐκεῖ vtut sint similia ratione deductionis, tamen differunt significatione,

tione, alterum eſt *inde*, alterum *ibi*; quomodo igitur ex altero alterum ſuppleri poſſit? Quae vero de verſione ſyriaca et interpunctione disputat, eiusdem ſunt commatis. Nam ſi κἀκεῖθεν referre ad proxima velis, fiet particula temporis, vt ſaepe etiam latinum *inde*. Sed quid Vir doctus neceſſe habebat, tam valde ſe in iſta ellipſi torquere? quid porro tam anxie eam probare et tueri? cum nemini vnquam in mentem venerit, neque facile venturum ſit, eam negare. Omnes enim, qui vel maxime vulgarem interpretationem tuentur, concedent, *ibi* in illis verbis intelligi poſſe, verum non ex ἐκεῖθεν, ſed ex totius loci ratione, ſi quidem eum, vt humanus ſenſus fert, interpreteris; nam ſi *inde e Charris*, patre mortuo, exceſſit, ſane pater ibi mortuus eſſe intelligitur. Quid igitur attinebat, tam multa disputare, vel ſexcenties et ad nauſeam vsque illud inculcare? (vid. §§. 4. 5. 7. 8. 9. et vbique) imprimis cum nihil ad cauſam eius faciat; ea enim cadet ſtabitue ſine ea particula. Itaque totam hanc disputationem nobis lubentibus potuiſſet omittere.

Sed iam peruenimus ad arcem disputationis noſtrae, nempe ad ipſam verborum μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ explicationem. Illam ita audiemus, vt primum obſeruemus, *quomodo verba ipſa interpretetur*, et ſecundo, *quomodo interpretationem ſuam probet*. Boni interpretis eſt, ſenſum verbis alicuius loci non tantum affingere, ſed quod maximum eſt, et praecipuum eius munus, oſtendere, vſum loquendi admittere et pati talem ſignificationem, quod niſi fieri poteſt, tota interpretatio vno quaſi ictu cadat neceſſe eſt; operae pretium itaque erit, in hac re paullo accuratius verſari, quoniam exinde tota noſtra disputatio accipiet lucem ſuam, et apparebit, num probabilis quodammodo ſententia auctoris ſit, nec ne. Nos vero non alligabimus amplius ordinem noſtrum ad certum §.

ſed

ſed quod ad explicationem ſuam verborum μετὰ τὸ ἀποθανεῖν vindicandam affert Vir doctus huc et illuc ex more ipſius diſperſum, id coniungemus, ita tamen, vt beneuolus Lector agnoſcat, nos nil intactum reliquiſſe, quod non examinaverimus.

Verba Stephani μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτῦ explicat Vir doctus§ in hunc modum: *poſtquam moriebatur pater eius;* hoc debet ſignificare in hoc loco idem ac *poſtquam remanebat relictus ibi in Charran vsque ad mortem, et neque regrediebatur in Vr Chaldaeorum, neque progrediebatur cum filio exinde in terram Chanaan.* Et paullo poſt eodem §. repetit ſuam expoſitionem his verbis: *Sic mori in Haran hic idem eſt, quod remanere et habitare in Haran ad mortem vsque.* Quod in §. 12. adhuc clarius repetit, dicens: *Mori hic figurate vſurpari, pro remanere ſeu conſtanter manere et habitare in loco quodam vsque ad mortem, non negatur.* Miror, ſi ſemel placuit interpreti noſtro ſignificationes verborum pervertere, cur non ſimpliciter dixerit, ἀποθνήσκειν hoc loco ſignificare, viuere. Et ſane! quid eſt manere in aliquo loco aliud, quam viuere in illo? Quis vero mortalium vnquam ἀποθανεῖν poſuit pro viuere vsque ad mortem? quis porro locutus eſt, *poſtquam moriebatur?*

Ne iniqui tamen videamur in aliquem, cuius cauſa nondum ſatis explanata eſt, audiemus illum enarrantem cauſam, qua coactus hanc plane inſolentem ſignificationem adhibuerit? nempe §. 4. l. c. *quia Stephanus refert, patrem ibi* (et quod haec particula praecipue ad ſenſum complendum intelligenda ſit, iterum probauit,) *ibi* (in Haran) *mortuum eſſe, vnde Abraamus translatus eſt, ergo verbis Stephani recte dicitur,* Tharam ibi in Haran vsque ad mortem eſſe relictum, emigrante filio. En cauſam etiam inſolentiorem, quam ipſa res, de qua redditur! quae

enim necessitas inde sequitur noui significatus fingendi? Si etiam haec verbi ἀποθνήσκειν notio bonum in hoc commate sensum redderet, debuisset tamen *historiae narrandae lex* illa obseruari: *Quoties in scriptura historice maxime quippiam narratur, nude ac simpliciter accipienda verba ipsa sunt, eo sensu, quem prae se ferunt, nisi aliud inde sequatur, quod absurdum aut pugnans videatur, idque ipsum conciliari aliter nequeat.* Atqui si hanc sequemur, Stephanus vocabulis et communi et vulgari consuetudine vsus fuisse dicendus est, non illis notionem, quae nemini audientium in mentem venire poterat, subiecisse. Tam plane etiam Stephanus totam orationem suam, quae omnis fere historica est, proponit, vt ex nimia paene facilitate oriantur ἐναντιοφανῆ. Exemplum cape. Si tempus, per quod commorati fuerint Israelitae in Aegypto, describit, non ἀκριβῶς illud exprimit, sed ponit numerum rotundum, vt aliis S. S. locis saepissime fit, et dicit loco 430 annorum, quos Moses exprimit Exod. XII, 40. 41. tantum 400. quem numerum, quia videmus oratorem historicum esse eum, qui ita illum afferat, facile conciliamus, edocti, oratores, qui simul historici sunt, et omnes scriptores vulgares non tam curiose omnia persequi, et numerum plerumque exprimere crasse, non secundum ἀκρίβειαν. Eandem historici et oratoris legem Lucianus in Tr. quomodo conscribenda sit historia, T. I. p. m. 617. docet; vbi multa graeca vocabula memorat, quibus interdum vitiose, i. e. nimis insolenti significatione vterentur historici, quum ipsis plane esset scribendum. Et Cicero lib. II. c. 15. de Orat. confirmat, aliquot leges historiae narrans: *orationem in historia esse debere tractam et fluentem, non contortam et figuratam.* Quis nunc crederet, Stephanum coram Synedrio Hierosolymitano historiam Patriarcharum populique Israelitici perorantem in id vitium incidisse, vt modo verba in sensu planissimo et communissimo, modo insolenti et a nullo

ne

ne poeta quidem ita vſurpato adhiberet, et propterea in cenſuram Luciani l. c. p. 618. veniret, dicentis: τȣ̃το τὸ πρᾶγμα ἐοικὸς εἶναι τραγωδῷ, τὸν ἕτερον μὲν πόδα ἐπ᾽ ἐμβάτȣ ὑψηλȣ̃ ἐπιβεβηκότι, θατέρῳ δὲ, σάνδαλον ὑποδεδεμένῳ: i. e. eam rem ſibi videri ſimilem Tragoedo, qui altero pede in alto cothurno incedat, altero ſubligatum ſandalium ferat.

Reliquum eſt, vt videamus, quomodo in iis, quae praeterea a bono requiruntur interprete, geſſerit officium ſuum conciliator noſter. Nemo ita ignarus eſt, vt neſciat, boni interpretis, qui ad tollendam alicuius loci ἐναντιοφανȣ̃ς difficultatem nouas vocabulo tribuit ſignificationes, eſſe, vt earum vſum ex eadem lingua, ſcriptoribus aequalibus, eiusdem generis, ex iis etiam locis, vbi non modo verba eadem et formulae eaedem occurrunt, ſed vbi etiam alia quam propoſita ſignificatione accipi nequeunt, comprobet. Extant quidem, quod haud negamus, exempla, tum in ſacris, tum in profanis ſcriptoribus, vbi pro vera habetur a viris eius rei peritiſſimis ſignificatio vocis, cuius vſus aliis eiusdem linguae exemplis non poteſt confirmari: verum id in illis locis obſeruetur neceſſe ducunt, vt vel ex aliorum verborum eiusdem linguae analogia, vel ex cognata aliqua lingua, quae ipſi, in qua vox probanda reperitur, valde ſimilis eſt, probetur, quod praecipue in iis linguis fieri ſolet, vbi numerus vocum non adeo magnus eſt, vt in hebraica lingua: cuius eſt inſigne exemplum, quod Moſes Geneſ. XI, 4. habet, vbi conſilium capiunt homines de turri exſtruenda, conſilii ſui rationem his verbis explanantes: וְנַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם, i. e. vt faciamus nobis שֵׁם, vbi quaeritur, quem ſenſum vox שֵׁם habeat? communis opinio pro eo pugnat, vt affirmet, eorum conſilium fuiſſe, vt ſibi ex tantae molis exſtructione compararent ſempiternam gloriam et laudem apud poſteros. Qui modus loquendi vocabuli τȣ̃

 שֵׁם

שֵׁם ex multis scripturae sacrae locis doceri potest. E. g. 2 Sam. VIII, 13. Es. LXIII, 12. Ier. XXXII, 20. Dan. IX, 15. Plura loca si cupis, adeas Bochartum in Phaleg l. I. c. 9. seqq. Cum hac vero explicatione vocis שֵׁם non dicam quod contextus non conueniat, imo repugnet; verum sufficiat dixisse, voculam פֶּן, quae vocem שֵׁם proxime sequitur, plane adversari, quippe quae coniunctio פֶּן, vt Clericus in Commentario philologico in Genesin ad hunc locum ait, constanter *ne* significat. Quem sensum cum non possent cum superioribus conciliare LXX. et Vulgatus Interpres, violato linguae hebraicae perpetuo vsu transtulere, πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς, antequam diuidamur. At doctissimus Perizonius in libello, quem inscripsit, Origines Babylonicae, proposuit multo concinniorem et probabiliorem istius consilii sententiam, quam turris Babylonicae aedificatores expresserint in verbis נַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם, fuisse nimirum mentem eorum, vt sibi facerent שֵׁם i. e. signum: quacum explicatione contextus non tantum egregie conuenit, verum particula פֶּן etiam ne minimam quidem vim patitur, sed in natiua sua significatione accipitur reddendo verba ita: פֶּן־נָפוּץ עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ, ne forte dispergamur in omnem terram. Nunc ad id venimus, quare allegatum a nobis est hoc exemplum. Desunt nempe alia loca, ex quibus vsus loquendi vocabuli τοῦ שֵׁם probari possit, quod *signi* notionem habeat. Sufficit tamen, cum haec explicatio tam egregiam omnique contextui conuenientem facilemque sententiam efficiat, Perizonium probasse vsum loquendi, 1) ex analogia linguae, 2) ex communi loquendi ratione in cognatis linguis, e. c. arabica et aliis. Sed ex quo loco digressi sumus, ad eum redeat disputatio nostra necesse est, et audiemus, num praescripta ratione interpres noster vsum loquendi vocis ἀποθνήσκειν pro *remanere* seu *viuere in loco aliquo vsque ad mortem* probauerit, et quomodo id praestiterit.

In §. 5. et 11. Sect. cit. vbi praecipue assumta verbi ἀποθνήσκειν significatio proposita legitur et dicitur, illud figurate accipi in hoc loco, et significare, *remanere seu constanter manere et habitare in loco quodam vsque ad mortem*, addit auctor verba, quae vim demonstrandi habere videntur scilicet. *Satis enim*, inquit, *tritum est illud effatum*, cum dicitur: **ich will hier sterben**, i. e. **ich will beständig hier bleiben und wohnen bis an meinen Tod.** Quam bene interpres partes suas egerit, alii iudices sint. Mihi notasse sufficiat, primum, talem consuetudinis loquendi vocis ἀποθνήσκειν probationem non esse consentaneam regulis a doctissimis Grammaticis propositis, et paullo ante a nobis allegatis. Quis enim est, qui existimet, vim alicuius graecae vocis ex germanica lingua deduci et stabiliri posse? Deinde non modo plane inusitatus et insolens in Graecia est vocis ἀποθνήσκειν significatus, quo exprimi debet, *remanere seu constanter manere et habitare in loco quodam vsque ad mortem*, et qui nullo exemplo probari potest, sed etiam naturae linguae aduersatur.

Visum quidem fuit nouae sententiae Auctori, adiuuare rem suam per distinctionem inter μετὰ τὸν θάνατον, et μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ̃, quorum prius habeat hunc sensum, vt significet: *post obitum patris eius*; alterum vero tantum exprimat: *postquam moriebatur siue moritur pater eius.* Quasi vnquam cogitari possit differentia inter haec, si dicatur, post mortem eius, et postquam mortuus est. Sed hic Vir doctus notiones suas neque distincte extulit, neque distinctas et claras habuit. Concedimus esse omnino differentiam inter mortem et mori, vt inter actum completum seu absolutum, et incompletum seu absoluendum; sed quis non videt particulam additam, quae differentiam tollit? Nam si quid dicitur post actum aliquem fieri, sane actus ille iam absolutus

est.

est. Cum dico, *veni, postquam alter exierat*, sane is actus iam completus erat. Si vero significare vellem, actum adhuc durasse, dicendum esset, *dum exibat*, siue vt auctores N. T. saepe dicunt: ἐν τῷ ἐξελθεῖν. Non ignoro Olearium in Obss. in Matthaeum, Obs. XXXI. in explicandis verbis, cap. IX, 18. quae quidam de Magistratu ad Christum veniens profert: ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησε, versari ita, vt explicanda ista censeat hoc modo, *filia mea iam animam agit*, quoniam si explicarentur, *mortua est*, non tantum verbis Marci V, 23. repugnarent, qui ita exhibet: τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει; verum etiam relationi nuntii ex familia Iairi aduenientis, et domino suo nuntiantis, animam iam efflasse natam aegrotantem, quo docebatur, istam nondum fuisse omnino mortuam, cum Iairus Christum eius causa accessit. Sed quomodo probat Vir iste doctus? non dici in allegatis verbis puellam omnino mortuam esse, sed adhuc agere animam et viuere, quum verba tamen clare proponere videantur, puellam iam mortuam fuisse? nimirum adhibendo distinctionem *inter actum mortis completum et incompletum*, simulque affirmando, alibi etiam vocem *mori* pro ipso actu moriendi statuque eorum, quorum vita in eo est, vt iam effugiat, vsurpari. Eiusque rei causa Alexin Poetam Comicum in exemplum adducit, qui senex et aeger incedens interrogatus a quodam, quid agis? respondisse fertur, κατὰ σχολὴν ἀποθνήσκω, i. e. per otium morior, vt est apud Stobaeum Serm. 268. p. 886. ex Aristotelis Chriis. Verum videns doctissimus Olearius, hanc non vbiuis locum habere posse distinctionem, sed in iis tantum locis, vbi temporis, in quo vox *mori* posita inueniatur, ratio pateretur adhuc praesentem durationem, ideo in verbis supra allegatis, ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησε, ostendit primum vim Aoristi, qui non praeteritum tempus absolute, sed indefinite, adeoque praesens etiam significat: postea accurate ex Suida aliisque exposuit voculam ἄρτι non praeteritum tem-

tempus ſolum, ſed praeteritum cum praeſente coniunctum indicantem; et tandem probauit mortem filiae Iairi ipſam paullo poſt demum inſecutam; vnde apparet, ab Oleario potuiſſe in tali loco diſtinctionem allegatam adhiberi. Sed in diſſimili plane loco a noſtro conciliatore diſtinctio inter ſtatum et actum mortis adhibita eſt. Quanquam enim et in verbis Stephani μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτȣ̃ tempus ἀορίςȣ adhibitum ſit, eiusque vis recte ex Glaſſio ab eo §. 9. Sect. II. explicata ſit, tamen vocis μετὰ tota vis eſt ea, vt neceſſario praeteritum tempus poſtulet, etiamſi cum ipſo praeſenti coniuncta legatur, quae ideo omnis diſtinctionis in hoc loco vſum aufert. Quis eſt, qui dubitaret, ἐλθεῖν atque hebraeorum מוּת et de praeſenti, et de praeterito adhiberi poſſe tempore; ſed quis in iisdem verbis dubiam amplius mentem habebit, ſi cum certis particulis in quodam loco occurrunt, quin certam et immobilem aſſumant vim et potentiam? Quapropter verba Paullina, Gal. III, 23. πρὸ τȣ̃ ἐλθεῖν τὴν πίςιν, nihil aliud volunt, niſi hoc, antequam veniſſet doctrina euangelica, ſub lege cuſtodiebamur etc. et Moſes, Geneſ. XXV, 11. per verba אַחֲרֵי מוֹת אַבְרָהָם certiſſime voluit affirmare, *mortuo* Abraamo, quia מוֹת in conſtructione cum אַחֲרֵי aliam explicationem plane non admittit; quae verba a LXX. interpretibus per eadem, quae in noſtro loco occurrunt, expreſſa ſunt, nimirum μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Ἀβραάμ, quae aequalitas in ſimili loco hiſtorico non leuiter ſententiam ſtabilire valet noſtram. Sed etiamſi ἀποθανεῖν hic de duratione actus accipere velis, nonne illud ridiculum, eum duraſſe LXX annos et Thareum tam longum tempus in agone fuiſſe, et animam egiſſe. Veram Lector cognoſcet ex his ſententiam B. Lutheri: quo melior Grammaticus, eo melior Theologus.

Summa erroris Viri docti in eo verſatur, quod particulae μετὰ, poſt, **nachdem**, vim non perpenderit; etiam tum, cum ger-

germanice verteret, nachdem er starb, siue daselbst blieb, bis er starb, semper in animo sedebat indem. Hinc error ex alio alius. Videbat interdum, sed per transennam, esse aliquid impediti in suis rationibus, hinc toties repetit eandem rem, sed omnino expedire se non potuit. Hinc in latina interpretatione male etiam effert, *postquam moriebatur*. Natura sermonis non permittit, particulam, quae tempus praeteritum designat, cum tempore imperfecto iungi. Et sane apud Latinos *postquam* non nisi cum praeterito tempore iunctum reperitur, interdum cum praesenti: vid. Horat. Tursellinum sub hac voce; sed tum illud vim praeteriti temporis habet, et historicum appellatur, et sententia omnino eadem manet: cuius rei exempla lectio scriptorum latinorum multa suppeditabit. Terentius v. c. in Prologo ad Phormionem in prima statim linea ait: postquam Poeta vetus Poetam non potest retrahere a studio &c. i. e. retrahere non potuit. Plautus in prologo Captiv. postquam belligerant Aeoli cum aliis, vt in bello fit, capitur alter filius. Virgilius in Ecl. I, 31. postquam nos Amaryllis habet, Galathea reliquit, h. e. ex quo tempore nos Amaryllis cepit. Sed cum imperfecto nemo vnquam iunxit, neque iungere potuit: Vide sis Donatum ad Terentium in Prologo ad Phormionem. Neque vero interpres noster interpretatione ista insolita quicquam profecto consecutus est, quum sensus maneat semper idem, siue componas postquam cum perfecto seu imperfecto tempore; nam postquam moriebatur nunquam erit, dum viueret vsque dum moreretur.

Sed neque Graecorum *μετὰ τὸ ἀποθανεῖν* aliter, quam de re praeterita accipi potest, et est nihil aliud, si grammatice resoluas, quam, *μετὰ τὸν θάνατον*, vel, *ἐπειδὴ ἀπέθανεν*. Graeci fere dicerent, *ἀποθανόντος αὐτοῦ*. Quod quanquam est certissimum et clarissimum, tamen, ne vel minima nostro Interpreti dubi-

dubitatio relinquatur, exempla in medium afferemus, eaque ex ipſo V. et N. Teſtamento petita; pauca tamen, licet ſint vbique obuia. Apud Moſen, Geneſ. XXV, 18. Iſaacus puteos refeciſſe memoratur, quos Philiſtaei humo aggeſta oppleverant, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Ἀβραὰμ, τὸν πατέρα αὐτȣ̃, i. e. poſt patris mortem: ne dubites, vid. v. 15. eiusdem capitis. In libello Ruth dicitur, Cap. II, 11. ἀπαγγελίᾳ ἀπηγγέλη μοι, ὅσα πεποίηκας μετὰ τῆς πενθερᾶς σȣ, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν ἄνδρα σȣ: vbi οἱ ό eandem, quam ſupra allegauimus, formulam expreſſerunt, nimirum אַחֲרֵי מוֹת אִישֵׁךְ. In primo libro Regum I, 1. de nuncio mortui Sauli pronunciatur: καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Σαȣ̀λ. In libro Iudith XVI, 25. opponuntur: ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰȣδὶθ, et μετὰ τὸ ἀποθανεῖν αὐτήν; et infinitis aliis locis, v. c. 1 Maccab. I, 9. 2 Regum I, 1. 2 Regum XIV, 17. 2 Paral. XXII, 4. 1 Paral. II, 24. et ſaepe de regibus Iſraelis, vbi aliis locis pro eo eſt, μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτȣ̃, Geneſ. XXV, 11. Num. XXXV, 28. quem locum, quod noſtro ſimilis, et quod ſimul docet, quomodo ex ſententia viri docti dicendum fuiſſet, adhuc apponam: ἐν γὰρ τῇ πόλει τῆς καταφυγῆς κατοικείτω, ἕως ἂν ἀποθάνῃ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας (non dicit, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν ἱερέα), καὶ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν ἱερέα τὸν μέγαν ἐπαναςραφήσεται ὁ φονεύσας εἰς τὴν γῆν τῆς κατασχέσεως αὐτȣ̃. Sed etiam ex parallelis locis doceri poteſt ea particulae μετὰ vis. Ieremias dicit XXIV, 1. μετὰ τὸ ἀποικίσαι Ναβȣχοδονόσορ, βασιλέα Βαβυλῶνος, τὸν Ἰεχονίαν: hoc idem ita effert Cap. XXIX, 2. ὕςερον ἐλθόντος Ἰεχονίȣ τȣ̃ βασιλέως ἐξ Ἱερȣσαλήμ: adde eundem alio loco, Cap. LII, 31. καὶ ἐγένετο ἀποικισθέντος τȣ̃ Ἰωακείμ. Quod Euangeliſta Marcus I, 14. μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην etc. extulit, id Matthaeus IV, 12. ita effert: ἀκȣ́σας δὲ ὁ Ἰησȣ̃ς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη etc. Paullus ad Hebr. X, 15. ait: μετὰ τὸ προειρηκέναι: et

 v. 26.

v. 26. μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. cf. Lucae III, 19. IV, 14. Io. IV, 43. Haec, puto, Virum doctum de vero ſenſu noſtrae formulae ſatis conuincent.

Atque etiam eum ſenſum ad vnum fere omnes Interpretes partim verſionibus ſuis, partim expreſſis verbis agnoſcunt. Non aliter explicuit accuratiſſimus Syrus interpres Act. VII, 4. exiit inde, poſtquam mortuus pater eius. Quem ſequuntur Vulgatus, Caſtellio, qui vertit, mortuo patre eius. Martinus in gallica verſione dicit: après que ſon pere fut mort. Lutherus fruſtra a noſtro conciliatore reprehenſus, §. 10. Sect. II. rectiſſime vertit: da ſein Vater geſtorben war; quem ſenſum Heumannus in noua ſua verſione optime retinuit. Et quid refert, nonnullorum modo interpretationes afferre, quum, quod iam dictum eſt, ad vnum omnes in eandem ſententiam abeant, quod faciunt, vel ſimpliciter eo modo vertendo, quo explicauimus, vel expreſſis verbis docendo. Ex horum numero eſt Buddeus in hiſt. eccl. V. T. Sect. II. §. 1. dicens: Diſerte dicitur a Stephano, Abraamum mortuo patre ſuo ex Charran in terram Chanaan translatum eſſe: paullo poſt, §. 2. Hoc Thara iam mortuo contigiſſe, dubitari prorſus nequit, cum non tantum Moſaicae narrationis ordo hoc oſtendat, ſed Stephanus diſerte poſt Tharae hoc factum obitum perhibeat. Calouius in bibliis illuſtratis ad h. l. vt et Grotius in Commentario ad h. l. viri graecae linguae non vulgariter gnari, de nullo minus cogitauere, quam de eo, num verba μετὰ τὸ ἀποθανεῖν poſſint aliam, quam communem accipere ſignificationem; ea potius pro certiſſima aſſumta tantum de ſolutione dubii cogitarunt. Neque in eo haeſitandum putauit Caſaubonus in notis egregiis ad Acta et inprimis ad h. l. cui ſi velis potes adiungere Eraſmum, qui nihil linguae vſu antiquius priusue fecit, in Com-

Commentario ad h. l. Knatchbullum in notis ad h. l. Clericum in notis ad verſ. gall. N. T. ad h. l. Car. le Cene in conatu nouae verſionis, pag. 539.

Iam per ſe corruunt ea, quae conciliator noſter §. 2. Sect. II. disputauit, de ordine, quo Moſes propoſuit hiſtoriam exitus Abraami poſt mortis demum Tharei factam mentionem. Poſteriorem eum fuiſſe huius morte, ex hac narrationis ſerie probarunt plurimi, qui hunc locum attigere; e. g. Hieronymus in hebraicis traditionibus, Auguſtinus quaeſt. XXV. ſuper Geneſ. et de Ciuitate Dei lib. XVI. cap. 15. aliique ex patrum ordine: et ex recentioribus eandem probandi rationem ſecutus deprehenditur Buddeus in hiſt. eccleſ. V. T. Sect. II. §. 2. cuius verba haec ſunt: Delibata paucis Tharae et liberorum eius hiſtoria, annum mortis Tharae ſcilicet, quod anno aetatis ſuae CCV. diem obierit, et hinc tandem vocationem Abraami ſubiungit: Ex quo, pergit, innuitur, vocationem Abraami ex Charran poſt mortem demum Tharae contigiſſe: et deinde addit l. c. §. 2. p. 760. Hoc Thara iam mortuo contigiſſe, dubitari prorſus nequit, cum non tantum Moſaicae narrationis ordo hoc oſtendat, ſed Stephanus quoque diſerte perhibeat. Ita vero his, in fauorem nouae ſuae ſententiae contradixit l. c. ſaepe laudatus auctor, vt diceret, ſcripturam ſacram ſaepe hunc morem ſeruare, vt omnino abſoluat hiſtoriam vnius perſonae cum eiusdem morte, quamuis ea multos poſt annos inſecuta demum fuerit: et ſic cum eadem Tharei hiſtoria eſſe comparatum, affirmat, et adeo negat, ordinem a Moſe obſeruatum in auxilium poſſe vocari a patronis eius opinionis, quae demum poſt obitum Tharei, migrationem Abraami e Charris ſtatuit. Longiſſime profecto abſumus, vt negemus, talem ordinem interdum a ſacris ſcriptoribus obſer-

v. 26. μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. cf. Lucae III, 19. IV, 14. Io. IV, 43. Haec, puto, Virum doctum de vero sensu nostrae formulae satis conuincent.

Atque etiam eum sensum ad vnum fere omnes Interpretes partim versionibus suis, partim expressis verbis agnoscunt. Non aliter explicuit accuratissimus Syrus interpres Act. VII, 4. exiit inde, postquam mortuus pater eius. Quem sequuntur Vulgatus, Castellio, qui vertit, mortuo patre eius. Martinus in gallica versione dicit: après que son pere fut mort. Lutherus frustra a nostro conciliatore reprehensus, §. 10. Sect. II. rectissime vertit: **da sein Vater gestorben war**; quem sensum Heumannus in noua sua versione optime retinuit. Et quid refert, nonnullorum modo interpretationes afferre, quum, quod iam dictum est, ad vnum omnes in eandem sententiam abeant, quod faciunt, vel simpliciter eo modo vertendo, quo explicauimus, vel expressis verbis docendo. Ex horum numero est Buddeus in hist. eccl. V. T. Sect. II. §. 1. dicens: Diserte dicitur a Stephano, Abraamum mortuo patre suo ex Charran in terram Chanaan translatum esse: paullo post, §. 2. Hoc Thara iam mortuo contigisse, dubitari prorsus nequit, cum non tantum Mosaicae narrationis ordo hoc ostendat, sed Stephanus diserte post Tharae hoc factum obitum perhibeat. Calouius in bibliis illustratis ad h. l. vt et Grotius in Commentario ad h. l. viri graecae linguae non vulgariter gnari, de nullo minus cogitauere, quam de eo, num verba μετὰ τὸ ἀποθανεῖν possint aliam, quam communem accipere significationem; ea potius pro certissima assumta tantum de solutione dubii cogitarunt. Neque in eo haesitandum putauit Casaubonus in notis egregiis ad Acta et inprimis ad h. l. cui si velis potes adiungere Erasmum, qui nihil linguae vsu antiquius priusue fecit, in

Com-

Commentario ad h. l. Knatchbullum in notis ad h. l. Clericum in notis ad verſ. gall. N. T. ad h. l. Car. le Cene in conatu nouae verſionis, pag. 539.

Iam per ſe corruunt ea, quae conciliator noſter §. 2. Sect. II. disputauit, de ordine, quo Moſes propoſuit hiſtoriam exitus Abraami poſt mortis demum Tharei factam mentionem. Poſteriorem eum fuiſſe huius morte, ex hac narrationis ſerie probarunt plurimi, qui hunc locum attigere; e. g. Hieronymus in hebraicis traditionibus, Auguſtinus quaeſt. XXV. ſuper Geneſ. et de Ciuitate Dei lib. XVI. cap. 15. aliique ex patrum ordine: et ex recentioribus eandem probandi rationem ſecutus deprehenditur Buddeus in hiſt. eccleſ. V. T. Sect. II. §. 2. cuius verba haec ſunt: Delibata paucis Tharae et liberorum eius hiſtoria, annum mortis Tharae ſcilicet, quod anno aetatis ſuae CCV. diem obierit, et hinc tandem vocationem Abraami ſubiungit: Ex quo, pergit, innuitur, vocationem Abraami ex Charran poſt mortem demum Tharae contigiſſe: et deinde addit l. c. §. 2. p. 760. Hoc Thara iam mortuo contigiſſe, dubitari prorſus nequit, cum non tantum Moſaicae narrationis ordo hoc oſtendat, ſed Stephanus quoque diſerte perhibeat. Ita vero his, in fauorem nouae ſuae ſententiae contradixit l. c. ſaepe laudatus auctor, vt diceret, ſcripturam ſacram ſaepe hunc morem ſeruare, vt omnino abſoluat hiſtoriam vnius perſonae cum eiusdem morte, quamuis ea multos poſt annos inſecuta demum fuerit: et ſic cum eadem Tharei hiſtoria eſſe comparatum, affirmat, et adeo negat, ordinem a Moſe obſeruatum in auxilium poſſe vocari a patronis eius opinionis, quae demum poſt obitum Tharei, migrationem Abraami e Charris ſtatuit. Longiſſime profecto abſumus, vt negemus, talem ordinem interdum a ſacris ſcriptoribus obſer-

 vari,

vari, imo vere certeque credimus, Mosen mortis Tharei in fine capitis antecedentis propterea meminisse, quod ad Abraami gesta properans, quae de Thareo narrare coeperat, semel absoluere voluit ac pertexere. Hunc scripturae sacrae morem exemplis probaremus, nisi auctor nouae sententiae exempla quaedam §. 2. Sect. II. allegasset. At quid boni et commodi exinde eueniat in partes aduersarii, difficile est perspicere. Haberet quidem locum illa assertio, si opinio de migratione Abraami, mortuo Thareo, cui non omnes non addicti sunt, solum narrationis ordinem, qui apud Mosen est, pro fundamento haberet, nec alia, eaque grauiora essent, quae repugnarent. Nunc autem contra est. Ipse contra disertissima Stephani verba, quae naturalem ordinem in illa narratione confirmant, illum ordinem *inuertit* eo consilio, vt deinde Stephani etiam verba in alienissimam sententiam detorqueat.



CAPVT

CAPVT SEXTVM.

ARGVMENTVM.

Non omnia in ſacris literis aequalis vtilitatis. Omnia diuina auctoritate ſcripta. Vtilitas Abraamiticae hiſtoriae. Profectionum Abraami vtilis deſcriptio. Profectio eiusdem e Charris repetita cur conſcripta. Cauſarum ἐναντιοφανων et ἀλυτων in ſcriptura ſacra occurrentium narratio. Sunt variae. Ne ſordeant lectoribus ſacrae literae nimis faciles intellectu. Difficultatibus hinc inde obuiis ſuperbum Deus deprimere voluit animum noſtrum. Discrimen quoque inter doctores et discipulos voluit eſſe, vt muneri ſacro ſuum maneat honos.

Ad finem perducta, de repetitis Abraami e Charris profectionibus in Chananaeam ad tuendam ſcripturae ſacrae diuinam auctoritatem, disputatione, timendum eſt, ne quis omnem hac in re poſitam operam perditam calumnietur, omnemque iſti vtilitatem abiudicet, iis adductus rationibus, quia docti quidam viri plurimas Vet. Teſt. hiſtorias nihili faciunt, et floccipendent, et Abraamum omnibus ſuis rebus geſtis, peregrinationibus, bellis, et quae de eius profectionibus e Charris narrantur, valere iubent, et, ni prorſus e ſacris literis eiiciant, omnem tamen ſpem futurae vtilitatis denegent: quapropter, non commode finire hanc commentatiunculam me poſſe, puto, niſi quaedam de vtilitate Abraamiticae hiſtoriae in vniuerſum, de eo, quod diuini in deſcriptione profectionum e Charris ineſt, et tandem de cauſis ἐναντιοφανων aliquid dixerim. Libenter ſuffragamur iſtis, qui non omnia in ſacris literis eodem pondere, eademque praegnantia eſſe, ſtatuunt,

tuunt, ſed alia grauiora eſſe et pretioſiora aliis, pro conditione hominum, qui iſtis erudiuntur, et temporis. Quae ſunt ad inſtitutionem ſcripta omnium omnino hominum, vt, quocunque vixerint aut victuri ſint tempore, ſalutem conſequantur aeternam, maioris ſane momenti ſunt et ponderis, iis, quibus vſi ſunt pauci olim in regione quadam terrarum orbis homines, et quibus noſtro tempore, meliora, vt ita dicam, maiori perſpicuitate edocti, carere poſſumus. Ita iam olim B. Gerhardus iudicauit, qui in demonſtranda diuina Cantici Canticorum auctoritate occupatus his, inter alia, vtitur verbis: Etſi omnes ſcripturae ſacrae libri diuini ſunt, quoniam ab vno eodemque Magiſtro, Spiritu ſancto, ſuam originem ducunt, Eccleſ. XII, 11. quapropter Auguſtinus ad Pſ. CL. ita commentatus eſt: Sunt, qui vniuerſas omnino ſcripturas canonicas vnum librum vocant, quod valde mirabili et diuina vnitate concordent, (vtpote ab vno auctore principali profectae) attamen nullum eſt dubium, quin dona Spiritus ſancti apud eos, quos inhabitat et per quos loquitur, diuerſimode ſe exſerant, ita vt alii ſcriptores in ſuis libris ſalubriora et vtiliora aliis docuerint, quod et in *ſcriptoribus librorum canonicorum*, Prophetis et Apoſtolis, quorum miniſterio Spiritus ſanctus ad exarandas ſacras literas vſus eſt, vbique poteſt obſeruari. Quis enim negaret, in Geneſi maiora legi myſteria, pretioſioremque ſapientiam, quam in libro Ruth? in epiſtola Paulli ad Romanos vtiliora ſcripta eſſe iis, quae in epiſtola ad Philemonem leguntur? Ita Gerhardus. Omnia tamen, quae canonica ſcriptura continet, diuina conſcripta eſſe auctoritate, nullus dubito, etſi omnium, qui ſibi hoc probandi auctoritatem ſumunt, iudiciis ſubſcribere non poſſum. Mihi nec iſti ſatisfaciunt, qui omnes literulas, omnia puncta aeque, ac quae ipſam doctrinam concernunt, inſpirata eſſe diuinitus, confirmant, quia tot et tantis implicantur

tur difficultatibus, vt expedire ſe vix poſſint: nec iſti, quorum nimis argutae hac in re ſunt diſtinctiones, de quo alio loco Deo volente et tempore plura dicam.

Ex mente quorundam noſtro ſeculo eruditiſſimorum virorum, hiſtoriae Caini, diluuii, Sodomae, Patriarcharum eorumque connubiorum et profectionum, auctore diuino indignae iudicantur, et minus aptae ad librorum diuinorum volumen efficiendum, quo omnes omnium ſeculorum homines ad ſalutem aeternam erudiantur; quippe quae res nihil contineant, quibus intellectus humanus ad felicitatem aeternam conſequendam erudiri, et animus ad exercendam piam et ſanctam vitam impelli poſſit. Num autem neceſſe eſt, vt omnes librorum ſacrorum hiſtoriae et doctrinae clariſſimis erudiant homines ad ſalutem verbis? num deſcriptiones Patriarcharum, quas Moſis libri exhibent, propterea nullius omnino ſunt vtilitatis, quod non aeque clare docent, quam Chriſti ipſius verba, quomodo conſequaris vitam aeternam? Abſit, vt ita ſentiamus! omnibus his, quamuis *euangelicae* Ieſu Chriſti inſtitutioni non aequiparandis, manet ſuus honos, ſuaque vtilitas, ſiquidem in nullo libro, cuiuscunque ſit auctoris, omnia aequali gaudent pretioſitate et praeſtantia. Manebunt omni aeuo hiſtoriae Caini, diluuii, Sodomae, reliquae huius generis narrationes, monumenta ſempiterna iuſtitiae diuinae, qua numen ſanctiſſimum generi oſtendere voluit humano, ſe non eſſe Deum, qui patiatur, absque illata poena, hominum peccatis offendi. Deſcriptiones a Moſe diuino inſtinctu exaratae, quibus, quicquid viri ſancti, olim viuentes, egerint, locuti ſint, crediderint, depingit, omni tempore fuerunt, et vsque ad finem ſeculi futura ſunt fiduciae, dilectionis, ſpei et patientiae exempla et documenta, omnibus ad imitationem hominibus

nibus propoſita. Connubia eorum et matrimonia ab iis inita, cum omnibus, quae illis feliciora aut infeliciora obuenerunt, vt et profectiones amplam diſcendi et exercendi ea praebent occaſionem, quae Chriſti cultores decet. Vbinam maior, fiduciam, dilectionem, patientiam et alia ſancta officia demonſtrandi datur copia, quam in vita coelibe et in connubio, domi et peregrinationibus? cum olim ſanctiſſimi admiſerunt labes et maculas viri, docemur, eos neque fuiſſe perfecte ſanctos, neque ex merito, ſed ex gratia aeternam fuiſſe conſecutos ſalutem, eodem modo, quo nos iuſti pronunciamur, et in conſpectum Dei aeternum admittimur. Summe reuerendus Cruſius in libello quodam nuper edito, lectuque maxime digno, praeclare docuit, quomodo hiſtoria Eſther, quae abiectiſſima Semlero doctiſſimo in libris de Canone, viſa eſt, plurimas lectori ſancto afferat vtilitates, et multo magis contineat boni, quam primo prae ſe ferre videtur intuitu.

Abraamiticae hiſtoriae quis quaeſo detraheret grauitatem? *et iſtam eſſe aliis rebus pretioſiorem quis negaret?* diligentius modo accuratiusque perpendat quisquis, Deum cum Abraamo nouum pepigiſſe foedus, de Meſſia e gente ſua aliquando orituro, quo omnes benedictum iri gentes, ad quod vbique in ſacris literis reſpicitur, et tum Iudaeorum fiducia ad fidem Abraami, tanquam ad normam diiudicatur, tum eorum diffidentia. Cui rei probandae nolumus diu inhaerere, ſed aliquot tantum loca Noui Teſtamenti, quibus Seruator O. M. Abraami ipſe meminit, ita, vt inde colligas, quanto pretio apud Deum fuerit et homines, allegabimus, et, quomodo inde hiſtoriae Abraami diuina acquiratur dignitas, docebimus. Habeas primum verba Chriſti dicentis ad Iudaeos, Io. VIII, 56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν.

καὶ

καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη. Quo tempore et loco Seruatorem viderit Abraamus, de quo ſatis inter doctos disputatum eſt, non attingemus, id modo ex his colligemus verbis, Abraamum certe aliquando filium Dei vidiſſe, et gauiſum eſſe de eo. Inde autem facile eſt ad cognoscendum, in ſummo eum apud Deum fuiſſe honore, eiusque hiſtoriam a Moſe (ſeu vt Lutheri eſt opinio, ab ipſo Abraamo) conſcriptam, magni aeſtimatam fuiſſe, quoniam iſtam in Nouo Teſtamento vbique legimus citatam. Eodem capite euincere ſtudent Iudaei, ſe filios eſſe Abraami, quod negat Seruator, propterea quod a bonorum operum longe abeſſent ſtudio, quod in Abraamo fuiſſet excellentiſſimum, et addit, εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν. Nonne his approbat Seruator Abraami viuendi rationem? nonne laudat, qua ratione ſe geſſerit erga Deum et homines? Suadet Iudaeis, vt imitentur eius fiduciam, ſanctitatem et reliqua, quae timentibus Deum ſunt ornatui. Nonne his Abraamiticae docet vtilitatem hiſtoriae? nonne virtutum iuſti viri praeſtantiam mirifice extollit, et ad imitationem omnibus commendat? Vnde enim hauſiſſent Iudaei, quid egerit, quomodo ſe geſſerit Abraamus, niſi in eorum fuiſſet manibus eius hiſtoria? quomodo fidem iſti potuiſſent habere, niſi de veritate eius fuiſſent perſuaſi? et vnde hanc perſuaſionem, niſi a viro diuinitus inſpirato conſcriptam crediſſent? Vnde apparet vtilitas hiſtoriae Abraamiticae, quia in ea, ex mente Dei, exemplum, quod, vt placeas Deo, imiteris, habes. Si per partes ire velimus, et, quomodo ſe geſſerit Abraamus in ſtatu oeconomico, in communi vita, erga Deum, alios homines, domeſticos ſuos et omnes, quibuscum conuerſatus eſt, inquirere, admirandam virtutum copiam obſeruaremus, quibus ornatus ipſe omnibus ad exemplum, quod imitentur, propoſitus fuerit hominibus. Sed

alii defuncti sunt hoc officio vt sat habeas, quos exinde decerpas ad communem vsum fructus. Addas Io. V, 46. 47. vbi, Christus dum dicit, Mosen de se scripsisse, integra quinque Mosis volumina, et simul Abraamiticam historiam adoptat, canonicam isti auctoritatem vindicat, Abraami reliquorumque Patriarcharum piam sanctamque vehementer commendat vitam. Caeterum quomodo Iudaeus, salutis cupidus, praecipuos fidei christianae articulos et morum, ex libris Mosis facili colligere potuerit negotio, elegantissime ostendit Io. Lichtfootius Opp. Tom. I. p. 175. seqq. His, quibus dignam esse Abraami historiam, quae legatur, et vtilem futuram lectoribus, demonstratum dedimus, adiicere possemus plura alia eius opera, ad rectam sancte viuendi rationem vtilia, et ad experientiam praecipue sanctam pertinentia, cuius vera et recta indoles nondum satis cum ambitu suo est indagata (quaedam de hac re collegi, et gauisus sum, cum nuper in Biblioth. summe venerabilis Ernesti legerem, eandem ipsum mecum fouere sententiam) nisi illud mihi verendum esse existimem, ne *haec commentatio eo nomine in* multas multorum reprehensiones incurrat, quod limites, quibus circumscribenda esset, sim transgressus.

Alia supersunt, quibus aliquid temporis et studii est impendendum. Profectionum Abraami e Charris descriptio longe videtur remota ab vtilitate, quam Christiani inde capere possint, quare necesse est, vt huius etiam rei vtilitatem doceamus. In causas si inquiramus, quare exire iussus fuerit Abraamus ex Vre Chaldaeorum et domo patris sui, facile intelligimus, id propterea esse factum, vt istum Deus eriperet ex consortio hominum falsos deos adorantium, et constitueret ab erroribus et nequitia tutum, sibique per eum acquireret populum

suae

ſuae ſaluti conſulentem, et Dei gloriam vbique manifeſtantem et diuulgantem. Quidnam clarius exinde et dilucidius cognoſcitur hoc, quod Deus iam tum oſtendere diſcrimen voluerit, quod inter pios intercedit et impios, et docere, illos pluris eſſe aeſtimandos et honorandos, hos nihili faciendos. Num ignorari poteſt, pios omni tempore ſeparaſſe ſe ab impiis, et ſocios ſe adiunxiſſe ſanctis? Integer vitae ſceleriſque purus Abraamus et iuſtus Lothus ſemper erant coniuncti: Melchiſedecus et Abraamus amiciſſime, quia vterque pietati ſtudebat, conuerſabantur: ſed e patris domo hunc proficiſci oportebat, ne cum impiis conuerſaretur, et ire ex hac in aliam regionem, ab hac in aliam vrbem, ὅπως ἴδωσιν αὐτȣ̃ τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα αὐτȣ̃ τὸν ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς. Cum Deus praeciperet Abraamo, לֶךְ־לְךָ מֵאַרְצְךָ וּמִמּוֹלַדְתְּךָ וּמִבֵּית אָבִיךָ, num id aliud erat conſilii, quam quod Paullus commendat Corinthiis? Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγȣ̃ντες ἀπίςοις· ἢ τις μερὶς πιςῷ μετ' ἀπίςȣ. Quod Deus in Nouo Foedere curauit nudis et planis verbis proponi, id doctum voluit homines Veteris Teſt. tempore exemplis. Etſi Spiritus ſanctus, ſunt verba Lutheri Opp. Tom. XXII. p. m. 114. ſuum praeclare exercet in hominum animis officium, multum tamen ad fidem exercendam confert et pietatem, ſi aliorum exempla ſanctorum Chriſtiani vident et audiunt. Exiſtimat enim infirmus fide, niſi alia pietatis et calamitatis exempla habet, ſe ſolum viuere pium, et innumeras pati calamitates etc. Quapropter (ſunt eiusdem verba) Deus ipſe in ſacris ſcripturis curauit, vt, praeter ſancta fidei et morum dogmata, hiſtoriae Patriarcharum et Prophetarum, eorumque curricula vitae literis conſignarentur, vt quaſi viuis coloribus eorum fidem, confeſſionem, pietatem et calamitates legeremus depictas. Ita Lutherus. Non audiendi igitur ſunt viri docti, qui, varios Vet. T. libros

historicos propterea eiiciendos statuunt, quod Noui scriptores Test. meliora istis docuissent, et dogmata christiana moribus sanctorum olim viuentium longe praestarent. Facilius autem, ait Sen. Controv. 6. 5. quid imitandum vitandumue sit, docemur exemplis: et Ep. 6. longum iter est per praecepta, breue et efficax per exempla. Deus serio Abraamum vrgebat mandato, vt e patris domo exiret, se a societate cognatorum seiungeret, et profectiones in longe remotas regiones institueret; quo et hoc docere voluit Spiritus sanctus, Deo id semper moris fuisse, vt longe amoueat liberos, quos ad peculiaria elegit negotia, a parentum amplexu, vt paterno desuescant consortio, et diuinae adsuescant conuersationi. Consilia parentum non saltem consiliis repugnant diuinis. Isti curant, vt filii ad summos in patria adspirent honores, his eosdem decreuit honores extra patriam. Quod tibi vtile videtur, non itidem Deo. Nonne et hoc docere nos voluit Deus, cum Abraamum vocaret e patris domo, nil debere carius nobis esse Deo? Deus exemplo voluit efficere Abraami, quod Christus planis verbis docuit Matth. X, 37. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Tota Abraami historia quasi commentarius est verborum Davidis: וּדְעוּ כִּי־הִפְלָה יְהוָה חָסִיד לוֹ. Bis exiisse Abraamum, supra diximus, e domo patris, primo quidem, iubente Deo, cito migrasse in Chananaeam, omnibus parentum bonis relictis; quod eo consilio diuino videtur factum, vt eius animum Deus, tum ratione obedientiae, tum ratione bonorum temporalium, quae penes patrem manebant, exploraret. Quid hoc aliud est, quam Christum audire perorantem: ὃς ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀγροὺς, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, Matth. XIX, 29. Explorato animo Abraami Deus benedixit facultatibus eius, et non modo diuitiis cumulauit, sed et passus est, vt circa aut post mortem patris Tharei reuersus ad patrios lares, heredi-

tatem

tatem ſibi vindicaret. Nonne in omni hoc negotio videmur audire verba Davidis, Pſ. XXXVII, 5. dicentis: גּוֹל עַל—יְהוָה דַּרְכֶּךָ וּבְטַח עָלָיו וְהוּא יַעֲשֶׂה׃. Pluribus adhuc vtilitas Abraamiticae hiſtoriae ad mores Chriſtianorum formandos doceri poſſet, niſi quaedam circa huius diſputationis finem, e conſilio noſtro adiicienda eſſent de cauſis ἐναντιοφανῶν ſcripturae ſacrae.

Quare Deus voluerit, ἄλυτα quaedam et ἐναντιοφανῆ ineſſe in ſacris literis, nos quidem, obiectionibus nullus vt relinquatur locus, inuictiſſimis ſuffulcire rationibus non poſſumus; coniicere tamen licet, et, quantum fieri poteſt, explorare conſilium diuinum. Praecipua videtur cauſa eſſe haec, vt eo ardentioribus precibus, maiorique ſacras ſcrutemur literas ſtudio, nec vllam legendi, contemplandi eas et inueſtigandi occaſionem praetermittamus. Origenes homil. 12. in Exodum dicit: Non tantum in ſcripturis adhibendum eſſe ſtudium, ſed preces etiam die ac nocte fundendas, vt veniat agnus de tribu Iuda, et aperiat nobis librum *ſignatum*. Chryſoſtomus homil. 40. in Ioannem: Non dixit Chriſtus: legite ſcripturas, ſed ſcrutamini. Diuina enim ſumma diligentia indigent. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus eſt, idcirco effodere profundius iubet, vt, quae alte deliteſcunt, inuenire poſſimus. Non enim rem in ſuperficie et in promtu poſitam effodimus, ſed quae tanquam theſaurus profunde reconditur. Qui enim huiusmodi quaerit, niſi ſummam adhibeat diligentiam et laborem, nunquam quaeſita inueniet. Deinde animus hominum ita eſt comparatus, vt facile taedium capiat rerum, quae nimis leues, intellectuque faciles videntur; ideo Deus curauit, vt, aequa et plana intermiſcendo grauioribus et difficilioribus, lectoribus nunquam ſordeant ſacrae li-

terae. Cuius ſententiae Auguſtinus eſſe videtur, qui, lib. 2. de doctrina chriſtiana, cap. 6. ait: Qui prorſus non inueniunt, quod quaerunt, fame laborant; qui autem non quaerunt, quia in promtu habent, faſtidio ſaepe marceſcunt. In vtroque autem languor cauendus eſt. Magnifice igitur et ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidium detergeret. Nihil enim fere de obſcuritatibus illis eruitur, quod non alibi planiſſime dictum reperiatur. Idem Epiſtola 3. ad Voluſian. Scriptura eadem habet in locis promtis, quae in reconditis, ſed ne aperta faſtidirentur, eadem rurſus opera deſiderantur, deſiderata quodammodo renouantur, renouata ſuauiter intimantur. Lutherus Tom. V. Opp. Lipſ. pag. 184. dicit: Hoc exinde didici, ſcripturam ſacram multis in locis ſuperare vires intellectus, eruditionem, diligentiam et ſanctitatem; et quanquam ea ſatis docet infirmos, quae creditu et factu ſunt neceſſaria, multa tamen ſuperſunt in ea, quae a doctiſſimis non intelliguntur. Ex his porro innotescit, Deum in bibliis ἄλυτα dispergere voluiſſe, vt ſuperbum noſtrum deprimat animum, noſtramque ignorantiam ante oculos nobis ponat, et deprimendo mentem humi defixam, nos ad perſcrutanda, omnique cura perluſtranda myſteria ſacra pelliceat. Quo apertius quaedam pugnare videntur, eo ardentius adhibendum eſt ſtudium, vt locus ad alterum interpretatione accommodetur. Totum hoc (quod obſcure quaedam dicta in ſcripturis) ait Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſti cap. 6. prouiſum diuinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam. Idem Serm. II. de verbo Domini: Paſcimur apertis, exercemur obſcuris. Gregorius homil. 6. in Ezechielem: Magnae vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum,

vt

vt fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod non potest capere otiosus. Nonne miranda est diuina sapientia, quae cuique suum in scriptura attribuit, vt indocti plane intelligant ea, quae ad eorum salutem sunt scripta, docti autem multis exerceantur difficultatibus, quas quomodo superent, vix inueniant. Vltimam adiicere liceat causam, quam Deus respexisse videtur, nimirum vt discrimen conseruaretur inter doctores et discipulos, inter concionatores et auditores, et munus sacrum iusto afficeretur honore. Quis desideret ab indoctis hominibus, vt omnia δυσνόητα, in scripturis occurrentia, intelligant et interpretari valeant? Satis est, si ex ore Doctorum sanctorum explicationem difficiliorum locorum discant, et eorum auctoritate freti de sapientissima sacrarum in Bibliis rerum dispositione gaudeant. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 44. dicit: Ratio obscuritatis (in scripturis) est multiplex, tamen satisfactionis causas dicimus duas. Primum, quia Deus alios voluit esse doctores, alios discipulos. Si autem omnes omnia scirent, doctor necessarius non erat, et ideo esset rerum ordo confusus etc. Sicut enim paterfamilias cellarium aut vestiarium suum non habet expositum cunctis, sed alios quidem habet in domo, qui dant, alios autem, qui accipiunt; sic et in Dei domo alii sunt, qui docent, alii, qui discunt. Deinde obscurata est notitia veritatis, ne non tam vtilis inueniatur, quam contemtibilis. Contemtibilis tamen est, si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur, nec custoditur. Gregorius hom. 4. in Cant. Scriptura sacra, ait, est simul fons et puteus. Fons patens in superficie terrae secundum aliqua mysteria, quae clare docet, quia omnibus sunt necessaria ad salutem. Puteus autem profundus ob alia secretissima et profundissima,

quae

quae intra literae corticem latent, nec a quibusuis facile penetrari possunt. Deus, qui cuncta gubernat, nobis omnibus sua semper adsit gratia, vt cum Abraamo, patre πάντων τῶν πιςευόντων, tandem ex hoc seculo, coelestem ingrediamur Chananaeam, et ex diuino patris coelestis ore omnis Abraamiticae historiae enarrationem, et ἐναντιοφανείας, quae in Mosaica et Stephaniana descriptione profectionum Abraami e Charris in Chananaeam occurrit, compositionem discamus, cui sit laus et gloria in aeternum.